R. P.

STEPHANI FAGVNDEZ,

LVSITANI VIENENSIS E REGIONE INTERAMNI,

SOCIETATIS IESV THEOLOGI,

TRACTATVS APOLOGETICVS

Pro suo libro in quinque præcepta Sanctæ Matris Ecclesiæ,

Ad celebrem quæstionem

DE OVORVM ET LACTICINIORVM ESV tempore Quadragesimæ.

Cum Summarijs & Indicibus capitum.




MOGVNTIÆ,

Sumptibus HERMANNI MYLII Birckmanni,
Excudebat Hermannus Meresius.

ANNO DOMINI M. DC. XXXI.

Cum Superiorum permissu, & priuilegio Cæsareo.



ILLVSTRISSIMO,

ATQVE AMPLISSIMO

DOMINO,

D. ANTONIO ZAPATA,

PVRPVRATO DIGNISSIMO SANCTÆ Ecclesiæ Romanæ, titulo S. Balbinæ, Quæsitori Maximo Hispaniarum, & Regnorum Catholicæ Maiestatis Regis Hispaniæ, à Consilio status Regij, Protectori Ecclesiarum Coronæ Castellæ, Gubernatori Archiepiscopatus Toletani, *&c.*

PATER STEPHANVS FAGVNDES, è Societate IESV, *Lusitanus, S.V. plurimam.*

TRIA potissimùm in Viro præstantissimo, atque maximo desiderauit Dion, Prudentiam, Sanguinis splendorem, Religionis præstantiam. Hæc in te mirificè conspirarunt, PRINCEPS AMPLISSIME. Prudentia quantùm valeas, ex illo Opere, *De Beneficijs*, inscripto, breui quidem, sed immensæ gloriæ dignissimo, à te edito, & ex insitis Sapientiæ dotibus, quibus affluis, facilè est coniectare. Quid enim in te magis demirer, sententiæ incertus addubito, ornamenta oris, an pectoris tui? Quippè ita Sapientia omnes sapientes, & doctrina præstantes exuperas, vt sit formido dicere. Rem nostram, & causam Lusitaniæ communem ita benignè curasti in hac tempestate, quæ in me subitò exorta est, vt libeat non tacere: si plura de te prædicem, videbor temerarius: si nulla, ingratus: verendum mihi est, ne ingenita in te bona, tanquam affectata, laudare videar. Itaque omnes equidem te Principem, sicut non ex aliqua vrbe missum, sed de cælo delapsum, & tota Hispania, imò totus Orbis intuetur, suspicit, demiratur. Ac, si dubium fuisset adhuc, sorte, casuque Moderatores, & magni Viri terris, an aliquo Numine darentur; te tamen sanctissimi Tribunalis, atque integerrimi Officij Præsidem liqueret diuinitùs constitutum.


Nobilitate iam tanta es, vt facilè splendor tuæ familiæ, non secus atque lumen Solis, omnium oculos, mentemque perstringat: quem vt acies nostra ferre posset, obtexisti te cum humanitatis tuæ quasi nube.

Iam verò Religioni tuæ, quæ poteſt par oratio inueniri? Tuæ virtutes adeò claræ ſunt, vt nulla labe demaculentur, nullo vitiorum confinio lædantur. Habes enim Iuſtitiæ trutinam, quam non ſemel expertus ego ſum in hoc negotio, ſuis libratam ponderibus æquo examine: quam & Italiæ, & Hiſpaniæ, ac Luſitaniæ tandem incolæ vna voce, vna mente, vna animi conſpiratione conclamant. Cuius rei me teſtem produco oculatiſſimum: quia, cùm multi, alioqui doctiſſimi, & æquitatis amantiſſimi vererentur, an reuocanda eſſent Edicta, quibus in illud meum Opus, *De quinque Præceptis Eccleſiæ*, animaduerſum eſt; diuino equidem ore illam ſingularem, & immortalitate dignam protuliſti ſententiam per id temporis: *Nullum Tribunal, neque authoritatis præſtantiam, neque grauitatis ſplendorem amittit, quando Iuſtitiam colit, ſequiturq́; Veritatis Numen ſanctiſſimum. Ergo ijs dediti virtutibus Iuſtitiam amplexemur, & ſummo ſtudio Veritatem religioſè, vt par eſt, obſeruemus; tunc Deus Opt. & Maximus noſtri Officij rationem, & munus præſenti auxilio ſecundabit.* Quamobrem his, atque alijs virtutibus omnium animos tibi deuinctos habes: flexibiles, quancunque in partem ducimur à te, atque, vt ita dicam, ſequaces ſumus. Cenſor es morum in cauſis Fidei, Quæſitor Maximus; Cenſor, inquam, es: nam vita Principum, vt ait Plinius; cenſura eſt, ad quam conuertimur. Tuæ vitæ rationes totius Hiſpaniæ mores tam probè conſequuntur, vt verum ſit illud Oraculum Tullianum: *Quæcunque mutatio morum in Principibus extiterit, eadem proculdubiò in populo ſequutura.* Hinc eſt, vt, qui mores Principum deprauat, mores clientum deprauaſſe videatur: non ſecus, teſte Plutarcho, atque ille, qui venenum in fonte diluit, vnde ab omnibus hauriatur, venenum omnibus propinat: contrà verò, qui mores Dynaſtarum, ac Principum benè inſtruit, reliquorum mores benè inſtruxiſſe videatur. Non aliter, vt egregiè Damaſcenus, atque ille, qui nauis gubernatorem hoſpitat, omnium in ſalutem nauigantium incumbit.

Hæ me, Clarissime Hispaniæ, atqve optime princeps, pepulerunt cauſæ, vt præ cæteris offerre tibi huius Tractatus fœtus auderem, quem, te iubente, te imperante, lucem aſpicere permitto; & qui clementiam tuam, ſacram veluti anchoram, in hoc mari nouis fluctibus, & decumanis agitato, expertus ſum, & apprehendi; æquum eſt, vt eos in lucem ſub auguſti Nominis tui præſidio, tutelaque prodijſſe patiare. Concludo ſermonis magis fine, quàm gratiæ, non ingratus beneficijs, ſed oppreſſus. Interim te Deus immortalis, Pvrpvratorvm Patrvm Princeps Inclyte, ad ſui Nominis gloriam, & Eccleſiæ Catholicæ firmamentum, quàm diutiſſimè tueatur incolumem.

INDEX CAPITVM HVIVS APOLOGETICI TRACTATVS.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS SOCIETATIS IESV PER RHENI superioris Prouinciam.



CVM ex mandato Sac. Cæsareæ Maiestatis, omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, ac alijs quamcumque librariam negotiationem exercentibus, seriò firmiterque inhibeatur, ne quisquam libros vllos à Societatis nostræ Patribus hactenus editos, aut in posterum edendos intra S. Imperij, Regnorum, & Dominiorum Suæ Cæs. Maiest. hæreditariorum fines, simili aliòue charactere aut forma, siue in toto, siue in parte recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alibi etiam impressos adducere, vendere & distrahere, clam seu palam citra supradictorum Patrum consensum ac testimonium, audeat vel præsumat. EGO LAMBERTVS STRAVIVS Societatis IESV per Rheni superioris Prouinciam Prouincialis, concedo HERMANNO MYLIO facultatem excudendi *Apologeticum tractatum Stephani Fagundez, è Societate* IESV, *pro suo libro in quinque præcepta Ecclesiæ, ad celebrem quæstionem, de lacticiniorum ouorumque esu, tempore Quadragesimæ.* In quorum fidem hoc ei testimonium manu nostra subscriptum, & sigillo munitum dare voluimus. Moguntiæ. IX. Octobris. M.DC.XXXI.

LAMBERTVS STRAVIVS.

CENSVRA OPERIS.




NOS infrà scripti sacræ Theologiæ Doctores fidem facimus, legisse, ac perlegisse Librum, cui inscriptio est, *Apologeticus Tractatus Patris Stephani Fagundes, è Societate* IESV, *pro suo libro in quinque præcepta Ecclesiæ, ac celebrem quæstionem, de lacticiniorum, ouorumq́; esu, tempore Quadragesimæ,* &c. nihilque in eo Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ fidei contrarium reperisse. Lugduni die 8. Octobris, 1630.

FR. CL. COCHET.

FR. BERNARDINVS MOLLIASSON,
Lector in Conuentu S. Bonauenturæ.

APO-



APOLOGETICVS TRACTATVS PATRIS STEPHANI FAGVNDES, E SOCIETATE IESV.

CAPVT I.

Informatio, & defenſio pro celebri quæſtione de eſu ouorum, & lacticiniorum tempore Quadrageſimæ, vſque ad vltimam, & definitiuam ſententiam in ea re datam.

SVMMARIVM.



Eferuntur propoſitiones, contra quarum doctrinam nonnulli extra Luſitaniam, pauci tamen inuecti ſunt n.1.

Vnde prima accuſatio contra opinionem ouorum, & lacticiniorum venerit.n.2.

Expoſtulatio Regij Fiſcalis Cruciata contra illam. ibid. n. 2.3 & 4.

Committitur primò à Tribunali ſancta Cruciata viris doctis examinanda.3.5.6.& 7.

Quibus notis illam affecerint.n.3.& 4.5.6.& 7.

Traditur ab Illuſtriſsimo Commiſſario ſancta Cruciata, Fiſcali eiuſdem Cruciata, vt illam iuridice accuſet.n.8.

Et is libellum contra illam format ibid.

Defertur à Tribunali ſancta Cruciata ad Tribunal ſancta Inquiſitionis.n.9.

Tribunal ſancta Inquiſitionis illam iterum videri, & qualificari iubet.ibid.n.9.

Profert contra illam edictum, & prohibetur publicè liber. ibid.n.9.

An dubitari potuiſſet de ea opinione.n.10.

Refertur prima defenſiuncula, & informatio, quam pro ea opinione è Luſitania miſi.n.11.& 12.

Nullus textus datur, in quo oua, & lacticinia in iure prohibeantur ſub mortali in Quadrageſima.n.13.

Refutatur Canon Trullanus pro ea allatus. n.14.

Explicatur caput Denique. *diſt. 4. quod eſt vnicum in hac materia.n.15.16.17.*

Referuntur dubia, & quaeſtiones, de quibus conſuluit Auguſtinus, Anglorum Epiſcopus, D. Gregorium Papam in cap Denique. *diſt 4.n 18.& 19.*

Hac opinio non eſt ſingularis, imò communiter docetur in Academijs Luſitania. n.20.

Referuntur rationes, quibus nititur.n.21.

Veritas rei non ex multitudine Authorum penſanda eſt, poteſt vna opinio habere pauciores Authores, & eſſe probabilior.n.22.

Non eſt hac opinio alicuius impedimenti emolumentis Cruciata.n.23.

Probatur ſecunda propoſitio.num.1.tradita.n.24.

Probatur tertia propoſitio n.25.

Viſa hac informatione, quid actum fuerit à Tribunali ſancta Inquiſitionis.n.26.



Nno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſexto prodiit in lucem tomus ille meus in quinque præcepta ſanctæ Matris Eccleſiæ, impreſſus Lugduni, apud Iacobum Cardon, & Petrum Cauellat: & poſtmodum anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo octauo, Moguntiæ, ſumptibus Hermanni Mylij: in quo in lib. 1.4. præcepti, ca.2. à numero 9. & 10. & deinceps, cùm de præcepto ieiunij loqueremur circa eſum ouorum, & lacticiniorum, in tempore Quadrageſimæ, & ieiunijs illius, tria aſſerta docuimus. 1.

Primum eſt, eſſe peccatum mortiferum edere oua, & lacticinia in tempore Quadrageſimæ, in ijs prouinciis, & regionibus, in quibus conſuetudo legitima introduxit, illa non edere eo tempore: ibi in quadam impreſſione eiuſdē capituli, n. 14. *In ijs locis, in quibus conſuetudo eſt hac non edere, ad mortale obligabit: certum eſt enim peccatum eſſe mortale, non abſtinere ab ouis, & lacticinijs, quando ea ſolùm per conſuetudinem ſunt probibita, niſi legitima cauſa excuſet.* In alia num. 9. verſu, *De conſuetudine igitur ſtatuo primò.* vbi id clarioribus, & expreſſioribus verbis aſſerimus.

Secundum eſt, nullum eſſe peccatum illa edere in regionibus, vbi conſuetudo viget edendi illa, ibi

in vna impressione,num.i. *Vbi tamen consuetudo est legitima comedendi, illa comedi possunt, absque vlla culpa mortali, vel veniali, & absque fractione ieiunij Et manifesta ratio id conuincit, cum enim haec prohibitio sit tantum iuris positiui, potest contra illam praualere consuetudo, sicut è contrario, vbi consuetudo est non vescendi, illa vesci non possunt*. In alia, n. 10. id manifestiùs apparet. Tertium est Spectato iure communi traditio in cap. *Denique.* dist. 4 & præcisa omni consuetudine, iure tantùm communi considerato, atque inspecto, non esse peccatum mortale illa comedere in Quadragesima, sed tantùm veniale, vt patet ex illis vltimis verbis numeri 11. *Quare euidenter patet ex textu non deduci obligationem peccati mortalis.* Quo numero vnius iuris communis, & textus cap. *Denique* dist. 4 expendimus. Patet etiam ex toto num. 10 in vna impressione eiusdem capitis, & ex initio numeri vndecimi ibi: *In ieiunijs verò Quadragesima sunt prohibita sub veniali oua, & lacticinia, vt vidimus per caput* Denique. *dist. 4. in prima parte Decreti.* In alia verò editione prædicti capitis id euidentiùs patet ex toto num. 10.

2. In primam, & secundam propositionem nemo adhuc (quod sciam) inuectus est: nemo excandauit, nec mihi excandescere potuit; illæ enim minimè sunt dubiæ, & in illis omnes conueniunt. In tertiam, & vltimam multi, & grauissimi Doctores in Hispania extra Lusitaniam inuecti sunt, & illam scandalosam, temerariam, periculosam, singularem, & malè cohærentem, & sonantem appellarunt: & vtpote nociuam, & perniciosam redditibus sanctæ Cruciatæ, ad Tribunal sanctæ Cruciatæ, detulerunt Hæc delatio & accusatio, vt à viris grauissimis accepi, Valentia Regni Aragoniæ à nonnullis Religiosis ad illustrissimum Præsidem Cruciatę missa fuit, ab illisq; formata: quo animo, & affectu, ignoro prorsus, ipsi viderint: ratione enim doctrinæ ad Tribunal potiùs sanctæ Inquisitionis, quàm Cruciatæ, talis delatio, & accusatio spectabat. Is verò tunc temporis erat Reuerendissimus Pater Frater Antonius à Souto Maiore, illustrissimæ & augustissimæ Familiæ Diui Dominici, Catholicæ Hispaniarum Regis Maiestatis Confessarius dignissimus, qui vbi primùm eam accepit, rem commisit Fiscali Regio Cruciatæ. Is statim apud Tribunal sanctæ Cruciatæ cœpit accusare, & enixè postulauit, vt meus ille liber in quinque præcepta Ecclesiæ, igni, flammisque traderetur, & Author illius grauissimè puniretur, propter perniciem & falsitatem doctrinæ, quàm circa esum ouorum, & lacticiniorum in prædicto capite meus ille tomus continebat, ex qua vltra damnum, & præiudicium emolumentorum, & regiorum redditiuum sanctæ Cruciatæ, plurima alia scandala oriri poterant in Republica Christiana; quia, cùm oua, & lacticinia Ecclesiæ præcepto sub culpa lethali in Quadragesimæ ieiunijs, iuxta omnium rectè sentientium doctrinam prohibita essent, si modò audirent aliqui, non ita prohiberi, vt Author eiusdem libri asserebat, dubitare poterant fideles, & Regij, ac Catholicæ Maiestatis vassalli, an cætera quoque præcepta Ecclesiæ sub mortali obligarent: quare, nec Missas audirent, nec decimas soluerent, nec Sacramenta susciperent, in maximum damnum Reipublicæ Christianæ, & suarum conscientiarum nocumentum: & sic, ex tam praua doctrina, & propositione pluriniæ aliæ hæreses pullularent.

3. Occasione huius postulationis Regij Fiscalis Cruciatæ, rectissimum illud Tribunal duobus viris doctissimis eam propositionem, & totam doctrinam prædicti capitis secundi, libri primi, 4. præcepti examinandam & qualificandam tradidit. Hi erant, Reuerendissimus Episcopus Tudensis, Frater Petrus de Horrera illustrissimi Ordinis Dominicani, & Frater Basilius Ponce, Legionensis, Ordinis Diui Augustini: qui eam propositionem, temeritatis, scandali, periculi, singularitatis, malæ sonantiæ, ac cohærentiæ notis, me non audito, affecerunt.

Singularitatis notam probarunt: quia nullus vnquam, nec ex antiquioribus, nec ex nouioribus Authoribus, eam opinionem tenuit: omnes enim semper tanquam indubiam veritatem statuerunt, peccatum esse mortale, oua edere, & lacticinia in ieiunijs Quadragesimæ, & illorum esu ieiunium quadragesimale infringi: addiderunt que, Authores, quos ego pro mea opinione allegaui, falsò à me fuisse allegatos: nam Palatios, quem super Summam Caietani in meum fauorem adduxi, fictus Author fuit: quia Michaël de Palatios, Doctor Salmanticensis, super libros sententiarum, non super Caietanum scripsit; nec extabat alius, qui super Summam Caietani scripserit, præter vnum Gaugericum, qui paruulas, ac paucas annotationes super eam edidit, quique in iis nec verbum quidem de præsenti negotio locutus fuit. Quare tanquam veram supposuit doctrinam Caietani, qui id mortiferum peccatum esse affirmat *in cap. 1. de ieiunio.* Glossam *super caput Denique. dist. 4 in verbo Par*, quam etiam pro mea sententia allegaui, potiùs contra me esse, quàm pro me. Nã verbum illud *Par*, æqualem abstinentiam indicabat in ouis, & lacticinijs, in ieiunijs Quadragesimæ, atque in carnibus, cùm seminam originem à carnibus trahant. Verba autem Gratiani *in prædictum caput Denique.* quæ pro me adduxi, & ita habent: *Hæc etsi legibus statuta sint: tamen, quia communi vsu approbata non sunt, se non obseruantes transgressionis reos non arguunt.* nihil etiam pro me facere: quia Gratianus non loquitur in illis de esu ouorum, & lacticiniorum tempore Quadragesimæ; sed de vsu vini in ieiunijs eiusdem, & de alijs rebus, quæ in prædicto capite *Denique* continentur, quæ consuetudine & vsu temporis sunt abrogatæ: atque adeò voluisse Gratianum in illis comprehendi prohibitionem ouorum, & lacticiniorum, quæ nullo vnquam tempore contraria consuetudine fuit abrogata. Glossas verò doctissimi Patris Ferdinandi Peres, Doctoris Complutensis, & aliorum doctissimorum virorum manu scriptas, quas pro me allegaui, se non agnoscere, & fortasse potuisse à me tam falsò pro mea parte allegari, quàm falsum allegaui Palatium.

Notam temeritatis ex eo probarunt: quia talis opinio, & doctrina est contra communem sensum & consensum fidelium: omnes enim persuasum habent committi peccatum mortale, si quis comedat oua, & lacticinia in Quadragesima, sine Bulla Cruciatæ, & omnes de hac re in confessionibus, tanquam de re graui, & mortali, se accusant, in quo intolerabilis mea fuit audacia, cùm ausus fuerim me opponere in materia graui, & ad mores spectante, communi sensui, & consensui fidelium totius Ecclesiæ, sine Authore, & sine fundamento. 5.

Notam periculi, & scandali ex eo conati sunt confirmare. Primò, quia proponebã pro licito id, quod

quod ſemper fuit illicitum; & grauiter, & mortaliter illicitum. Secundò, quia omnes ſcandalizantur de illis, quos vident ſine cauſa, & Bullæ, edere oua, & lacticinia in Quadrageſima; & omnes ſimiliter Doctores ex tali doctrina ſcandalum non mediocre patiuntur. Tertiò, quia ex tali eſu, ſi eſſet licitus, aut non eſſet mortaliter illicitus, vt à me fingitur, occaſionem, & offendiculum multi acciperent labendi, & ex eo deſpicerent alia præcepta Eccleſiæ, atque adeò non exigua ex tali opinione & ſententia proximis pararetur ruina. Quartò, quia eſt contra ſextam Synodum, in qua prohibentur oua, & lacticinia ſub mortali, vt videre eſt in Canone 56 illius, qui ita habet.

Viſum eſt nobis, vt omnis Eccleſia, quæ eſt in vniuerſo terrarum orbe, vnum ordinem ſequens, ieiunium perficiat, & abſtineat, ſicut ab omni mactabili, ſic ab ouis, & caſeo, quæ ſunt fructus eorum, à quibus abſtinemus: qui autem hoc non ſeruauerint, ſi ſint Clerici, deponantur; ſi laici, ſegregentur.

Vbi pœna depoſitionis imponitur Clericis: excommunicationis verò laicis; ſi hæc in ieiuniis Quadrageſimæ edant: quæ pœnæ, cùm graues ſint, mortiferam culpam arguunt ſine dubio.

Notam denique malæ ſonantiæ, ac cohærentiæ
7. ex eo probarunt. Primò, quia ſi in prædicto cap. *Denique.* diſt. 4. in verbo *Par*, conſilium, ac conuenientia inuenitur, non præceptum; ſequitur, quòd nullum ſit peccatum; nec veniale quidem illa edere, cùm conſilia ad nullam culpam obligent, nec etiam venialem, & ſint de perfectione, non de obligatione iuxta D. Paulum 1 ad *Corinthios* 7. *De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, tanquam miſericordiam à Domino conſecutus, vt ſim fidelis.* & iuxta omnium ſententiam. Secundò, quia ſi prædictum cap. *Denique.* in quo iſtarum rerum eſus prohibebatur, totum erat abrogatum, vt aſſerebant verba Gratiani, quæ pro mea ſententia, n. 4. allegaui, quomodo, aut qua ratione poterat talis ouorum, aut lacticiniorum eſus tempore Quadrageſimæ eſſe peccatum veniale, de iure loquendo, cùm lex abrogata nec ad veniale quidem obliget.

Hac qualificatione accepta, Illuſtriſſimus Com-
8. miſſarius Generalis Cruciatæ rem totam iterum Fiſcali Cruciatæ, qui tunc temporis erat Dominus Licentiatus Iacobus de Molina; & Abellaneda, qui (vt Iabianis verbis vtar) ſcripſit contra me amaritudines, & acrem, vehementem, & acerbum contra me libellum accuſatorium formauit, & Tribunali ſanctæ Cruciatæ obtulit, in quo impensè poſtulauit, vt omninò meus ille tomus in quinque præcepta Eccleſiæ prohiberetur, & Author illius, in exemplum aliorum tam prauam, & perniciosam doctrinam diſſeminantium, ſeueriſſimè puniretur. Rationes, quas ad id attulit, & accumulauit, quia recidunt in eaſdem, quas numero ſecundo propoſuerat in prima denuntiatione, & cum iis ſapientiſſimorum Qualificatorum, Cenſorumque ſanctæ Cruciatæ, quas à n. 4. vſque ad 7. propoſui, non recenſeo: ſolùm animaduerto, Dominum Fiſcalem totos neruos intendiſſe in probando, exaggerandoque damno, quod ex tali doctrina, niſi liber ille combureretur, emolumentis Cruciatæ emergebat: & ideò inſtitit pro viribus, vt ea ſcintilla ſtatim exorta ſupprimeretur, ne poſteà in magnum incendium erumperet.

9. Eo libello accepto, & contra me formato, & oblato, me inſciente, & non audito, imò in Luſitania abſente, res à Tribunali ſanctæ Cruciatæ ad Tribunal ſanctæ Inquiſitionis delata eſt, atque deducta. Supremum illud Tribunal ſanctæ Inquiſitionis, iuris ordinem ſequens, præſcriptum in capite *Summoperè.* 11. q. 3. ibi: *Summoperè præcauere debent Rectores Eccleſiarum, & qui publica iudicia exercent, vt in dictandis ſententiis nullatenus leuitate, aut fauore ducti, ſint præcipites: ſed cauſis priùs diligenter ventilatis.* Et in capite *Illa.* eadem q. 3. vbi idipſum præcipitur, ne, ſcilicet, Iudices in ferendis ſententijs ſint præcipites; ſed re maturè penſitata, & conſultis ſapientibus ferantur, rem iterum aliis viris doctiſſimis, & ſanctæ Inquiſitionis Cenſoribus examinandam, cenſurandam, & qualificandam tradidit, qui cenſuram priorum Qualificatorũ ſanctæ Cruciatæ in omnibus, & per omnia probarunt. Quo tandem factum eſt, vt per publicum edictum ſanctæ Inquiſitionis, integrum illud caput ſecundum dicti libri 1. quarti præcepti, per quod tota illa propoſitio diſperſa erat, prohiberetur, donec caput illud corrigeretur. Hoc edictum publicatum fuit Madritij, Anno Domini 1617.

De hac publicatione; & tota rei ſerie, ſtatim 10.
ab amicis per literas mihi ex Caſtella ad Luſitaniam miſſas, fui admonitus, quo tempore in vltimis confinijs Luſitaniæ eram, vbi propter loci temperiem, valetudinis cauſa, me iuſſu Superiorum contuleram, & tunc primùm rei notitiam habui: nam, me nihil tale opinante, & nihil ſciente; & non audito, cauſa fuit agitata. Ratio, ob quam mihi copia data non fuit, ea eſſe debuit: quia tunc non ſolebat Tribunal ſanctæ Inquiſitionis copiam ſuæ prohibitionis reis ſcribentibus facere, vt aliquam ſatisfactionem ſuæ doctrinæ præberent: quia libri illorum illam præbent, & ipſi præſentes per libros ſuos, & doctrinam ſunt. Quare nihil opus eſt vocare reos per ſuos libros præſentes, vt præſentes ſint. Et ſic videtur ceſſare tota iuris diſpoſitio *capitis 1. de cauſ. poſſeſſ. & propriet. & capitis Sunt quidem.* 29. q. 1. *& Clement. Paſtoralis de re iudicat. §. Natural. & L. Vt vim. ff de iuſt. & iure. & capitis Qualiter, & quando. de Accuſ.* in quibus diſponitur, vt nullus reus inauditus damnetur. At id videtur intelligendum, quando de prauitate, temeritate, & ſcandalo doctrinæ euidenter conſtat, non quando dubia res eſt. In hoc autem negotio dubium eſſe poterat: tum; quia liber ille meus iam fuerat approbatus per Tribunal ſanctæ Inquiſitionis Luſitaniæ; & per Qualificatores doctiſſimos illius. quorum vnus, è ſupremo illo Tribunali Inquiſitionis erat; nempe Pater Franciſcus de Gouuea. Tum, quia res non erat euidens: fuit enim poſteà illa propoſitio approbata à quatuor inſignibus Vniuerſitatibus Hiſpaniæ; nempe ab Vniuerſitate Conimbricẽſi, Eborenſi, Salmanticenſi, & Complutenſi, vt infrà patebit, *cap.* 3. quarum Doctores nullo modo eam approbarent; ſi euidenter eſſet praua, temeraria, aut ſcandaloſa. Tum; quia non omnibus Cenſoribus placuit ea cenſura, vt poſteà fama tulit. Tum denique, quia Tribunal ſanctæ Inquiſitionis re diligentiſſimè examinata & diſcuſſa, eam doctrinam, ſanã; probabilẽ & omni Theologica cenſura indignam iudicauit: vt patebit infrà *cap.* 4. Tum quia in meo libro pro ea opinione, & doctrina fundamenta propoſui, quæ non ita infirma poſteà viſa ſunt, & Authores fideliter allegaui, vt patebit infrà.

Vbi primùm rem per litteras accepi, ſtatim miſi 11.
ad Patrem Antonium Collaſſum Procuratorem Geno-

Generalem nostræ Societatis pro Prouincijs Lusitaniæ, in Curia Madritiana, tractatulum quendam breuissimum, firmatum subscriptionibus Doctorum ferè omnium duarum insignium Academiarum Lusitaniæ, Regiæ Conimbricensis, & Pontificiæ Eborensis, in quo meam doctrinam propugnabam, vt illum Collassus offerret illi Tribunali, ad quod negotium spectaret (neque enim tunc ego sciebam, in quo Tribunali meum caput impetebatur.) Tractatus verò is erat:

12. Illustrissimi Domini, mea doctrina tradita in cap. 1. li. 1. quarti præcepti sanctæ Matris Ecclesiæ, continet tres propositiones. Prima est, loquendo de iure communi, & seclusa quacunque consuetudine regni, loci, aut prouinciæ, non esse peccatum mortale, sed tantùm veniale, oua & lacticinia edere in ieiuniis Quadragesimæ. Secunda est, quòd, quamuis de iure communi hoc non sit peccatum mortale, sed tantùm veniale: si tamen alicubi in aliquo regno, aut prouincia consuetudo legitima introduxit hæc non edere in ieiunijs Quadragesimæ sub mortali, peccatum esse mortale illa tunc edere in ijsdem ieiunijs. Tertia est, si alicubi fuerit consuetudo illa tunc temporis edere, nullum id esse peccatum, nec mortale quidem, nec veniale.

13. Prima propositio traditur in dicto lib. 1. 4. præcepti, in quadam editione, cap. 2. à num. 12. & deinceps. in alia à numero 20. Et hanc propositionem in hunc modum probo. Primò, quia nullus est textus, nullus Canon in toto Iure, in quo oua, & lacticinia in ieiuniis Quadragesimæ sub mortali expressè, & clarè prohibeantur. Lex autem, & præceptum sub mortali obligans debet esse apertum, clarum, & manifestum, iuxta caput *Erit autem Lex. dist. 4. in prima parte Decreti*, ibi: *Manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem contineat, nullo priuato commodo, sed pro communi ciuium vtilitate conscripta.* Et causa est, vt ibi ait Glossa, *Ne alicui per eam paretur laqueus.*

14. Primus textus, & Canon, qui contra me apponi potest, est Canon 56. sextæ Synodi Trullanæ, quæ loquitur de ieiunijs Quadragesimalibus; & Clericis oua, & lacticinia in iis ieiuniis comedentibus imponit pœnam depositionis; laicis verò illa edentibus, pœnam excommunicationis: quæ pœnæ, graues cum sint, non nisi ob peccatum mortale possunt imponi.

Sed, qui hunc textum, & Canonem pro se allegauerit, aut aliquid imperitiæ ostendet, aut occultam aliquam malitiam. Imperitiam: quia talis textus, & Canon nullam habent authoritatem: nam omnes Canones, qui sub nomine sextæ Synodi versantur, non sunt sextæ Synodi, sed sunt Trullani Conciliabuli: quia aliquot annos post sextam Synodum dissolutam, tempore Iustiniani II. nonnulli Episcopi Orientales Constantinopoli conuenerunt, & in Palatio Imperatoris, quod Trullanum dicebatur, centum & duos Canones ad sextam Synodum addiderunt, qui à Trullana aula, & Palatio, in quo conditi fuerunt, Trullani dicuntur, quos nunquam Ecclesia Romana approbauit; imò semper reprobauit: scatent enim multis erroribus. vt legenti patebit. Nec verò sexta Synodus Canones fecit, sed actiones, vt patet ex Concilio Nicæno II. quod fuit sexta Synodus generalis, actione 4. & 5. & ideò Baronius *tomo 8. fol. 602. in editione Vaticana. anno Domini 1599. in quinto anno Papæ Sergij*, hanc sextam Synodum, quoad editionem omnium Canonum Trullanorum, Conciliabulum appellat; & *fol. 604. versu, Scias autem*, Pseudosynodum, Conuenticulum, & erraticam Synodum. Et ibi etiam asserit, non solùm ab Ecclesia Romana nunquam fuisse receptos, sed nec etiam receptos, aut approbatos fuisse à tribus Patriarchis orientalibus, imò semper tanquam erroneos, & hæreticos fuisse reprobatos. Quod probat elegantissimè ex Beda *de sex ætatibus in Iustiniano minore*, & ex Paulo Diacono *de gestis Longobardorum, lib. 6. cap. 11.* Docet etiam Illustrissimus Cardinalis Bellarminus *libr. 2. de Romano Pontifice, cap. 18. §. Argumentum 2. & lib. 1. de Concilijs, cap. 7.*

Seuerinus Binius in admonitione ad Lectorem 15.
super Canones Trullanos, *fol. 224. & 228.* Thomas Treterus Canonicus sanctæ Mariæ trans Tyberim, *in Epitome vitæ Imperatorum, in vita Constantini IV. & Iustiniani Minoris*, Sotus in *4. dist. 38. q. 1. art. 2. col. 4. versu Quocirca.* Valentia *4. p. dist. 9. q. 5. puncto 3. §. 2. versiculo Respondeo.* Azor. *inst. Moral. 2. p. libr. 5. cap. 16. versiculo, Sextum concilium.* Illustrissimus Archiepiscopus Bracharensis, D. Rodericus à Cunha, *in comment. ad caput Sexta Synodus 9. dist. 6. n. 1.* & alij multi. Occultam malitiam: siquidem contra Authorem catholicum, doctum, & Religiosum allegat, & profert textus, & Canones hæreticos, & reprobatos, & nunquam admissos in Ecclesia Catholica: vnde patet lapsum fuisse Couarruuiam *libr. 4. variar. cap. 20. n. 15. ad finem*, vbi pro se allegat hunc Canonem, & illi authoritatem tribuit.

Secundus Canon & textus, qui contra me obijci potest, est vnicus, & famosus ille textus in hac materia de ouorum, & lacticinorum esu, capitis
Denique. dist. 4. nam, cùm D. Gregorius Papa con- 16.
sultus esset ab Augustino Anglorum Episcopo, an abstinendum nobis esset ab ouis, & lacticiniis in ieiuniis Quadragesimæ, sicut & abstinemus à carnibus, ita respondit: *Par autem est, vt quibus diebus à carnibus animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam à carnibus trahunt originem, ieiunemus, à lacte, videlicet, caseo, & ouis.* Vbi verbum illud *Par*, non significat parem, & æqualem obligationem abstinendi ab illis, & à carnibus, vt multi hactenus voluerunt, non considerato rigore significatus talis dictionis, & verbi: sed significat congruentiam quandam, & conuenientiam ad summum peccati venialis: nullum enim ibi verbum strictè præceptiuum inuenitur, sed secundùm quid, & sub peccato veniali, ratione dependentiæ, quam oua, & lacticinia habent à carnibus, à quibus originem trahunt. Et ita ibi notauit Glossa, *in verbo, Par. Par, id est*, inquit Glossa, *æquum, & iustum.* Et videtur notare Dominicus *n. 5.* ibi: *Dicto*, Par, *non stat similitudinariè sed ponitur pro æquo, & iusto.* Quasi diceret: Non est eadem æqualitas, & similitudo præcepti, in abstinentia carnium, in ieiunijs Quadragesimæ, & in abstinentia ouorum, & lacticiniorum: quia carnes prohibentur primò, & per se; lacticinia verò, & oua prohibentur secundariò, & secundùm quid, tanquam dependentiæ, & circumstantiæ carnium, quia ab illis originem trahunt.

Et quamuis nonnulli velint, illic subintelli- 17.
gendam esse dictionem, *Sic*, ita vt sensus maneat: *Sic quoque ab omnibus, quæ sementinam carnis trahunt originem, à caseo, videlicet, ouis, & lacticinijs, ieiunemus* ita vt sensus sit: Eodem quoque modo,

&

& eadem obligatione abstinendum nobis est in ieiunijs Quadragesimæ ab ouis, & lacticinijs, qua abstinemus à carnibus. id quidem diuinare est, & verba textui addere, illumque torquere, vt sensum, quem volunt, extorqueant. Et verò quamuis illis id libenter demus, deest tunc verbum illud, *Par*, quod destruit æqualem illum sensum, & æqualem obligationem abstinendi à carnibus, & ab ouis, & lacticinijs, quam fingunt: nam tunc legitimus, ac germanus sensus est: Sic quoque par est, (id est, conueniens, & æquum, & iustum, vt explicat Glossa, & Doctores omnes vtriusque Academiæ Conimbricensis, & Eborensis, qui huic desensiunculæ subscripserunt Theologi, & Iuris ciuilis, & canonici periti, qui numero bis denos supra duos excedunt,) vt ab ouis & lacticinijs abstineamus, sicut abstinemus à carnibus. Vbi sunt hîc verba præceptiua? Vbi æqualis obligatio abstinendi ab his, atque ab illis sub mortali? Profectò nullibi: nam, qui dicit, *conuenit*, qui dicit, *par est*, conuenientiam indicat, non obligationem æqualem.

18. Iam verò, quod in illis verbis, *par est*, vel, *sic quoque par est*, non intelligatur eadem obligatio culpæ lethalis, manifestè deducitur ex ipso textu capitis *Denique. dist.* 4. & ex Glossa, & Gratiano *in illo*: quia ad finem huius capitis addit Gratianus hæc verba: *Hæc, etsi Legibus constituta sint: tamen, quia communi vsu probata non sunt, se non obseruantes transgreßionis reos non arguunt, alioqui hi non obedientes, proprio priuarentur honore*. Quod perinde est, ac dicere, alioqui peccarent mortaliter: nam priuatio honoris, & depositio illius, est grauis pœna, quæ supponit grauem, & mortalem culpam. Vbi verba illa relatiua, *Hæc etsi legibus constituta sint*, referri non possunt ad illos, qui carnes edunt in ieiunijs Quadragesimæ absque licentia, & necessitate: siquidem clarum est, hos transgressores esse, & reos præcepti ieiunij. Referenda ergò sunt ad illos, qui comedunt oua, & lacticinia: quia hi puniri non possunt, si ea tunc edant, pœna graui priuationis officij, & honoris, quia non peccant mortaliter, sed venialiter tantùm. Et verò dicere, verba illa relatiua, *hæc*, referenda esse ad omnes alias dubitationes & quæstiones, de quibus Augustinus Anglorum Episcopus consuluit Diuum Gregorium Papam, de quibus statim agemus, non autem ad hanc de ouis, & lacticinijs: incongrua responsio est, & excogitata ad effugiendum argumentum: nam Gratianus explicare intendebat omnes illas quæstiones, & responsiones illius, inter quas præcipua quæstio, & interrogatio erat hæc de lacticiniorum, & ouorum esu: & de omnibus dicit, non esse transgressionis reos, illos, qui contrarium efficerent. Dicere autem, verba illa relatiua, *hæc*, referenda esse ad vltimum tantùm dubium, de vini vsu in tempore, & in ieiunio Quadragesimæ, vt volunt Domini Censores, Qualificatoresque; præposterum responsum omninò est: nam tunc dicendum erat, *hoc*, non *hæc*. Quare Domini aduersarii quærant aliud effugium congruentius.

19. Et hoc quidem euidentiùs confirmatur ex medulla, & contextu, materiaque ipsius textus, & capitis *Denique, dist.* 4 nam inibi, vt notat Glossa, de quinque dubijs consuluit Augustinus D. Gregorium Papam. Primum fuit, An Clerici incipere deberent ieiunium à Quinquagesima? Et respondit affirmatiuè, vt præessent exemplo sæcularibus, sicut præibant honore, & dignitate. Secundum fuit, An sæculares, qui diebus Dominicis consueuerunt solenniùs epulari, debeant à tali consuetudine remoueri? Et respondit quòd non; ne deteriores fiant: quia, qui multum emungit, elicit sanguinem. Tertium, An diebus ieiunij Quadragesimæ edendi essent pisces? Et respondit affirmando, ad infirmitatis humanæ solatium, non ad luxuriam. Quartum, An vtendum esset vino in ijsdem Quadragesimæ ieiunijs? Et similiter affirmatiuè respondit, dummodò ebrietas vitaretur, (& hæc fuit vltima interrogatio in ordine textus.) Quintum, An tempore ieiuniorum Quadragesimæ abstinendum esset ab ouis, & lacticinijs? Et responsum dedit in hunc modum: *Par autem est, vt quibus diebus à carnibus animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam à carnibus trahunt originem, ieiunemus, à caseo, videlicet, ouis, & lacticinijs* Vbi notandum est, in omnibus dubijs semper respondisse Pontificem, *Sic*. *Non:* in isto autem de ouis, & lacticinijs, nec simpliciter respondisse, *Sic*; nec simpliciter, *Non*: sed respondisse, *Par esse*: vt ostenderet, vt notauit Glossa, cùm dixit, *æquum, & iustum*; se nolle prohibere oua, & lacticinia eadem prohibitione rigorosa, & pœna peccati mortalis, sed alia mitiori, venialis: quia hęc non erant carnes, quæ primò & per se rigorosè in præcepto ieiunij vetabantur; sed erant dependentiæ à carnibus, & circumstantiæ illarum, quæ originem ab illis trahebant: circumstantiæ autem delicti, & dependentiæ illius non eodem modo, nec eadem pœna rigorosa ipsius delicti in Iure puniuntur: sed alia multò mitiori, & leuiori. *L. Leuia. ff. de Accusat. L. Respiciendum ff. de Pœnis*

Et in hoc negotio considerandum etiam est, quòd in textibus antiquis, textus præd cti capitis *Denique dist.* 4 in fine capitis, ita clauditur, ac finitur: *Nisi quis dicat, hæc non decernendo esse statuta, sed exhortando conscripta* In nouioribus verò, & correctis inueniuntur hæc verba ad marginem ipsius textus: *Quare vel verba sint ipsius textus, vel sint Gratiani: si hæc ad cohortationem conscripta sunt, non continent peccatum mortale, sed ad summum veniale*. Nec obstat, quòd aliquis dicat, vt etiam asserebant Domini Qualificatores, & ex hoc deducebant, hanc doctrinam esse malè cohærentem: Si est exhortatio, est perfectio, & non est præceptum: atque adeò nec venialiter quidem peccabunt illi, qui tempore ieiuniorum Quadragesimæ hæc ederint. Nam ad hoc respondemus, hîc in hoc capite *Denique*. supponi, esse prohibita oua, & lacticinia, in eodem præcepto, in ieiunijs Quadragesimæ, in quo prohibentur carnes, cùm originem ab illis trahant: non tamen eodem modo, & pœna esse prohibita, sed alia minori, & mitiori peccati venialis. Erid ratio conuincit: quia, cum ouis & lacticinijs tenemur ieiunare in Quadragesima, non tamen cum carnibus: & dispensatus in esu ouorum, & lacticiniorum, non est dispensatus in præcepto ieiunij. Dispensatus autem in carnibus, iuxta meliorem opinionem est dispensatus in ieiunio, & solutus à lege illius. Quare non eodem modo, nec eodem rigore, & pœna prohibentur oua, & lacticinia in Iure, ac prohibentur carnes: sed diuerso modo, & pœna mitiori peccati venialis, tanquam dependentiæ à carnibus. Et licèt demus, in hoc capite, *Denique*. contineri perfectionem tantummodo, seu simplicem exhortationem, exclu- 20.

den-

dentem omnem culpam, etiam venialem; id parum refert: quia exhortatio hæc dirigitur ad personas: at obligatio abstinendi ab illis sub peccato veniali, non oritur ex ista exhortatione; sed oritur ex materia, quatenus pendet à carnibus, & cognationem habet cum illis, originemque ab illis trahit, vt dictum manet.

21 Et hæc quidem opinio non est singularis, neque inusitata: est enim omnium Doctorum Lusitanorum, & in Academijs Regni Lusitaniæ passim docetur, & sustentatur, & habet pro se insigniores Doctores vtriusque Academiæ, Conimbricensis, & Eborensis: omnes enim illam suis subscriptionibus firmarunt, (supersedemus tamen illas hic referre, ne fastidio simus, cùm necessariò sint infrà referendæ in alio Tractatu, quem in capite 3. apponemus,) qui, vt diximus, bis denós supra duos excedunt. Habet Glossas doctissimi Patris Ferdinandi Peres, nostræ Societatis Doctoris Complutensis, & antequam Societatem ingrederetur, Professoris Theologiæ in eadem Academia non pœnitendi. Habet etiam Glossas manuscriptas sapientissimi Patris, & vtriusque Iuris laurea Doctoratus in Vniuersitate Conimbricensi insigniti, Ludouici de Cysneros, nostræ quoque Societatis, qui hanc opinionem docuit in vtraque Academia, Eborensi, & Conimbricensi, sicut Ferdinandus etiam docuerat. Habet doctissimum Patrem Baptistam Fregosum, vt etiam ex illius Glossis patet, in Academia Eborensi, & Olisiponensi dictatis. Habet ex antiquis Paulum de Palatios super Summam Caietani, *verbo, Ieiunium.* nam, cùm Caietanus in Summa, *in cap. 1. de ieiunio*, dixisset, illicitum esse, oua, & lacticinia edere in Quadragesima, Iure communi attento; & non explicasset, an esset illicitum sub mortali, an sub veniali; explicauit ipse Palatios *verbo, Ayuno. cap 4 fol. 238* de peccato veniali, non mortali, ibi: *Quanto al primo capitulo del Author* (hoc est, Caietani) *donde dice, que donde no ay vsu de comer cosas de leche, y hueuos, no es licito comerlos los dias de ayuno, hase de entender, que comer estas cosas sera peccado, pero no mortal segun Innocentio.* Caietanus autem *in eo primo capite* loquitur de ieiunijs Quadragesimæ: vnde explicatio Palatij: non nisi de ieiunijs Quadragesimæ potest intelligi. Et non est iste Palatios, Michaël de Palatios: sed Paulus de Palatios, Doctor Salmanticensis, qui scripsit super Summam Caietani quasdam annotationes, quas Eboræ anno 1557 prælo dedit, iussu Serenissimi Henrici Infantis Cardinalis, posteà Regis Lusitaniæ. Et in hoc lapsi sunt Domini Qualificatores, asserentes, me destitutum authoritate Doctorum, hunc Authorem finxisse, vt authoritatem adderem meæ sententiæ. Habet Petrum Alagonam *in Epitome decretalium, dist. 4. num 5.* vbi explicans, tangensque omnes illas quæstiones, ac dubia, de quibus Augustinus, Anglorum Episcopus, Diuum Gregorium Papam consuluit, inter quas præcipua erat hæc de ouorum, & lacticiniorum esu, ita ait: *Nota, hæc, aut sunt de consilio, aut abrogata.* Habet Dominicum *in eodem capite Denique. dist. 4.* ibi: *Dictio, par, non stat similitudinariè: sed ponitur pro æquo, & iusto.* Fauet Parnormitanus *in capite Ex parte. de obseruat. ieiun. num. 12* quatenus asserit, quòd vbi statutum sit per verba communia, transgressio illius non obligat ad mortale In capite autem *Denique.* verba tantùm communia inueniuntur, & nulla sunt verba præceptiua expressa. Fauet Præpositus *in dicto capite Denique. distinct. 4.* in compendio prædicti capitis, quod efficit in fine illius Fauet denique Medina C. *de ieiun tractatu 4. capite de necessitate seruandi ieiunia ecclesiastica, versu, Vt igitur folio mihi 140. col. 2. Litera D:* quatenus id ipsum asserit, quod ait Panormitanus.

Veniamus ad rationes. Prima ratio, qua meam doctrinam confirmaui in meo tomo in quinque præcepta sanctæ Matris Ecclesiæ, *dicto lib. 1. cap. 2. quarti præcepti, numer. 12.* est, quia non est verisimile, Summum Pontificem velle obligare in esu ouorum, & lacticiniorum ad peccatum mortale, cùm tam facilè in ijs soleat dispensare, & tam difficilè in carnibus, in ieiunijs Quadragesimæ, quas non concedit edere, nisi de iudicio vtriusque Medici. Vnde, si in vtroque esu esset eadem obligatio peccati mortalis, abstinendi ab his, vtrobique daretur eadem difficultas dispensandi. Signum ergo est, voluisse Summum Pontificem prohibere sub culpa lethali esum carnium: ouorum autem, & lacticiniorum sub veniali tantùm. Secunda, quia, si sub eodem præcepto rigoroso, & mortali, teneremur non comedere lacticinia, quo tenemur non comedere carnes in ieiunijs Quadragesimæ, sequeretur, quòd, sicut qui habet facultatem comedendi carnes, non tenetur ieiunare, iuxta meliorem opinionem, quam docent communiter DD. Medina *in Summa, cap. 14. §. 10 folio 71. versu, Per lo qual. & folio 74. versu, Quien tiene,* Corduba *in Summa, quæstion. 142* Anton. Bernardes *in Summa, cap. 22. numer. 18.* Henriquez *lib. 7. de Indulgent. cap. 13. numer. 12. versu, De dispensato, pag. mihi 350.* Hieronymus Flamma *3 p. Methodi, cap. 5. §. 26. pag. mihi 26. ad finem,* Azor. *tomo 1. Instit. moral. lib. 7 cap. 10. q. 3.* Caietanus *2. 2 quæst 147. artic. 1.* Gabriel *in 4. dist. 16 q 3. art. 3. dubio 1. §. De secundo.* Palatios *in 4. disp. 8. conclusione 6. dist. 15* sic, nec qui habet facultatem comedendi oua, & lacticinia, teneretur ieiunare. Consequens est falsum: ergo & illud, ex quo sequitur. Tertia ratio est, quia peccata, Legibus, & Canonibus inducta, non sunt amplianda ad casus dissimiles, & minores: sed potiùs restringenda, vbi lex expresse non loquitur: hîc enim militant omnes Regulæ Iuris *in 6. Odia sunt restringenda, fauores ampliandi. Pœna in benigniori parte,* &c. Minor autem res est, oua & lacticinia edere, quàm carnes. Ergò non debet ea pœna peccati mortalis, quæ imponitur esui carnium, imponi esui ouorum, & ad illum extendi; sed alia multò minor venialis: nam minora delicta, minori pœna puniuntur. *cap. Vt Clerici. de vita, & honestate Clericor. cap. Felicis. § Illud. Vbi DD. communiter de Pœnis. L. Leuia. ff. de accusat. L. Respiciendum. ff. de pœnis.* 22

23 Nec obstat, quòd alia opinio, quæ docet harum rerum esum in ieiunijs Quadragesimæ, spectato Iure communi, esse mortalem, sit communior, vt docet Couarruuias *lib. 4. var. cap. 20. numer 15* & patebit infrà, *cap. vltimo huius Tractatus* Primò, quia non ex eo, quòd vna opinio sit communior, ideò est probabilior: res enim magis ex veritate, quàm ex multitudine Authorum perpendenda est. *L. 1. §. Sed neque C. de vet. Iur. enucleando.* ibi: *Sed neque ex multitudine Authorum, quod melius & æquius iudicatote; cùm possit*

possit forsan vnius, & deterioris sententia multos, & maiores in aliqua parte superare. Secundò, quia si res maturè consideretur, non reperitur textus, aut ius, quod clarè, aut efficaciter hanc sententiam probet. Textus enim *in cap. Denique. dist. 4.* qui vnicus, & capitalis est in hac materia, etiamsi admittamus, quòd sit Diui Gregorij Magni, quod non satis constat, vt ait Couarruuias *libr. 4. var. cap. 20. n. 15.* neque inuenitur in illius Operibus correctis, id non videtur probare: nam præcipua ratio, qua ibi vtitur D. Gregorius Papa, non fuit, quòd ieiunium erat quadragesimale: sed, quòd oua, & lacticinia originem trahunt à carnibus, vt patet ex illius verbis: *Par autem est*, &c. Ratio autem ista, vt docet Archidiaconus *in dicto capite, Denique. dist. 4. à n. 3.* æquè procedit in reliquis ieiuniis ab Ecclesia indictis extra Quadragesimam: ergo, aut in omnibus ieiuniis ab Ecclesia indictis id erit peccatum mortale, quod omninò negat communis opinio; aut in quadragesimali ieiunio non erit peccatum mortale, sed tantùm veniale. Tertiò, quia plerique Authores, qui pro contraria & communiori opinione allegantur, id non dicunt expressè, vt videre est in Caietano, *in Summa, vbi de ieiunio, cap. 1.* & in D. Thom. 2. 2. *q.* 147. *art.* 8. *ad* 3. sed tantùm dicunt, illicitum esse hæc edere in ieiuniis Quadragesimæ, & ad summum dicunt, præceptum abstinendi ab illis strictiùs in Quadragesima obligare: vt inibi ait D. Thomas. Domini autem Qualificatores, vbi inueniunt hoc verbum, *illicitum*, interpretantur de peccato mortali, cùm possit esse illicitum sub veniali; & strictiùs sub veniali, præceptum abstinendi ab his in Quadragesima obligare.

23. Neque obstat etiam impedimentum emolumenti sanctæ Cruciatæ, quod allegatur, nisi hoc peccatum mortiferum esse statuamus. Primò, quia, qui hoc dixerit, existimat, Bullam Cruciatam, aut solùm ad hunc finem sumi posse, aut hoc esse proprium illius scopum; cùm tamen hoc falsum sit. Nam habet multa alia priuilegia; habet commutationem, & dispensationes votorum; habet priuilegia compositionis bonorum incertorum; habet priuilegia Indulgentiarum in hora, & articulo mortis; ob quæ necessariò sumēda est. Nec Confessarij se benè possunt gubernare in confessionibus absque ea Bulla; & ideò pœnitentes sine illa audire nolunt. Secundò, quia parui facit peccata venialia contra dictum Spiritus sancti: *Qui spernit modica, paulatim decidet.* & contra sententiam Diui Augustini valdè celebrem: *Præstat millies magis mori, quàm Deo vel leuiter offenso viuere.* Tertiò, malè sentit de populo Christiano, existimans, solum propter hanc ciborum illecebram, Bullam ab eo sumi. Quartò, quòd peius est, spernit scrupulos peccati mortalis; quos potest meritò inducere probabilitas contrariæ opinionis, vt ego in meo libro animaduerti, *lib. 1. dicti 4. præcepti, cap. 2. num. 24.* ibi: *Priuilegia autem obtenta à Summo Pontifice, ad edenda oua, & lacticinia in ieiuniis Quadragesima, vel eò tendunt, vt auferant scrupulos timoratis conscientijs peccati mortalis, vel propter eleemosinam dispensat Summus Pontifex in peccato veniali, & fortè etiam in mortali.* Quintò, quia nos hîc agimus de inquirenda veritate; & hæc materia concernit periculum animarum: & ideò in hac re solum ad inquisitionem veritatis nobis attendendum est, non ad accumulationem reddituum Cruciatæ. Sextò, quia non videt, qui hoc dixerit, id, quod

nobis possunt obiicere Hæretici in Germania, prohiberi, scilicet, in Hispania libros Catholicorum Doctorum bonæ, ac sanctæ doctrinæ, solum vt maior pecuniarum copia ex populo Christiano colligatur. Et hæc sanè ratio multum apud prudentes valere potest. Septimò, quia non vident id nullius præiudicii esse Cruciatæ. Nam in prouinciis, in quibus consuetudo id illicitum mortaliter fecit, vt in Castella, & Italia, necessariò ad hunc effectum Bulla est sumenda, cum mortale peccatum ibi sit propter consuetudinem, hæc edere, vt sæpè diximus.

Secunda propositio, quam in meo libro statui, ita habet: *Quamuis in Iure communi, sub peccato veniali, & non sub mortali, prohibita sint oua, & lacticinia in Quadragesima: tamen, si alicubi in aliquo regno, loco, aut prouincia, legitima consuetudo fuerit hæc non edere, illorum esus peccatum erit mortiferum.* Et hoc ibi non disputaui: sed id supposui tanquam indubitatam veritatem: habet enim consuetudo vim Legis, & præcepti: & sicut per Legem, & præceptum hæc possunt sub mortifero reatu prohiberi; ita & per consuetudinem. Verba, quibus id docui *in dicto libro 1. quarti præcepti, cap. 2. n. 14.* sunt hæc: *Sed in iis locis, in quibus consuetudo legitimè introducta ad mortale obligaret, certum est mortale peccatum esse, non abstinere ab ouis, & lacticiniis; quando solum per consuetudinem sunt prohibita, nisi legitima causa excuset: habet enim consuetudo vim Legis, vt sæpè diximus.* Et in *n. 11.* dixi: *Sicut enim per Ius & Legem, si in hoc casu daretur, potuerunt hæc omnia, id est, oua, & lacticinia, interdici: ita etiam & per consuetudinem; cum consuetudo vim Legis habeat.* Hæc ibi. Et hæc doctrina adeò est clara, vt probatione non egeat; & eam docet D. Thomas 2. 2. *q.* 147. *art.* 8. *ad* 3. Suarez *Tomo 2. de Religione, lib. 4. cap. 7. n. 9.* & D. Hieronymus *epistola ad Lucinum; ad finem;* & patet ex *capite, Cum dilectus. de consuetudine.* 24.

Tertia propositio, quam tradidi, ita habet: *Vbi consuetudo datur legitimè introducta comedendi illa, comedi poterunt absque vlla culpa etiam veniali, & absque ieiunij violatione; idque, quamuis de Iure canonico sub mortali prohiberentur.* Patet ex *num. 11. dicti capitis 2. libri primi, quarti præcepti, in quadam editione: in alia n. 10.* ibi: *Vbi consuetudo est legitima comedendi illa, comedi possunt absque vlla culpa mortali, vel veniali, & absque ieiunij violatione.* Et hæc doctrina est etiam certa, & eam docet Caietanus in Summa, verbo, *Ieiunium. §. 1.* ibi: *Quòd si alicubi in Quadragesima consuetum sit vti butyro, excusantur.* Et eadem est ratio de ouis. Medina *tractatu 4. de ieiun. q. de consuetud.* Legem ieiunij dissoluente, §. *His non obstantibus.* ibi: *Inde etiam excusantur Britones, qui in Quadragesima butyro vtuntur, aut ouis, vbi talis consuetudo viget.* Cum tamen oppositum sit Iure statutum, *in cap. Denique dist. 4.* Tenet Paludanus *in 4. dist. 15. qu. 4. n. 33.* ibi: *Britones autem, qui in Quadragesima butyro vtuntur, videntur excusari: quia in illis, in quibus Ecclesia dispensare potest, si scit, & dissimulat, dispensat.* Et addit ibi *n. 25.* non solum posse consuetudinem esum ouorum, & lacticiniorum excusare in Quadragesima; sed etiam totum ieiunium. Ledesma 2. 4. *q.* 17. *art.* 8 *fol.* 216. §. *Quinto colligitur.* ibi: *Quintò colligitur; quòd per vsum butyri, lacticinij, & ouorum, vbi viget consuetudo comedendi ea in Quadragesima, non soluitur quadragesimale ieiunium.* Nauarrus in Summa, *cap. 21. n. 15.* ibi: *In omnibus tamen ieiunijs seruanda est consuetudo comedendi oua, & lacticinia.* Et idipsum dicit *n. 35.* de consuetudine comedendi carnes in 25.

Sabbathis, ibi: *Item, in Sabbathis abstinere iubet Decretum, quod consuetudine abrogatum est in multis locis.* Tenet Syluester verbo, *Ieiunium, q.4. ad finem*, referens Paludanum de Britonibus loquentem: & hunc Authorem, Syluestrum, allegaui ego in meo libro: sed aduersarij asserunt, Syluestrum ibi non loqui de ieiuniis Quadragesimæ, in quo falluntur omninò, sicut falluntur in aliis. Legant illum, & inuenient ad finem quæstionis. Tenet Paulus de Palatios *super Summam Caietani, fol.231. col.2.* ibi: *Bien es verdad, que en algunas partes vsan comer manteca en Quaresma, y no por esso peccan, por auer tanto tiempo, que sus Prelados lo saben, y lo dissimulan.* Tenent Clypeus *quæst.20. de ieiunio, art 1. fol.156.* & Michaël de Palatios *in 4. dist.15. fol.125. col.2. ante medium, & fol.135. col. etiam 2. paulò post medium*, & Tabiena *verbo, Ieiunium. num.7. post medium.* Rodriguez *tomo 1. Summa, in 2. edit. cap.184. num.10.* Sanchez *tomo 2. Summa, lib.4. cap.11. num.50.* Lessius *tomo 1. de iust. lib.4. cap.2. numer.8.* ibi: *Quibusdam locis consuetudo permittit lacticinia etiam in Quadragesima.* Valentia *2. 2. disp.11. q.2. puncto 3. §. Cæterùm.* vbi docet ita sentire D. Thomam, & alios Theologos *in 4. distinct.15.* & Gabriel *in 4. dist.16. quæst.3. fol.509. col.2. in initio, in editione Brixiana, anno 1574.* & Filliucius *tract.27. p.2. cap.3. num.47.* Et ratio id conuincit: nam in Castella vsus licitum fecit esum, & vsum carnium in Sabbathis totius anni, nomine minutorum; cum tamen Ius commune carnes prohibeat in ipsis Sabbathis. Si ergo consuetudo præualuit ibi contra Ius positiuum, in esu carnium in Sabbathis totius anni, cur non præualebit alibi contra illud in esu ouorum, & lacticiniorum?

26. Visa hac informatione, Tribunal sanctæ Inquisitionis Castellæ suspendit edictum suum: (neque enim, quod sciam, in aliis locis amplius publicatum est.) Et ego acquieui. At non acquieuit Frater Basilius Legionensis: nam, quo erat in hæc oua, & lacticinia (nec dicam in hanc opinionem) acerbo animo, publicè in suis prælectionibus Salmanticensibus illam iterum, temeritatis, scandali, periculi, singularitatis, & malæ cohærentiæ, ac sonantiæ notis damnauit, capite sequenti.

CAPVT II.

Refertur voluntaria censura, & criminatio, qua Frater Basilius Legionensis, primarius Theologiæ Magister Salmanticensis, hanc opinionem affecit: & responsio cuiusdam ignoti Lusitani ad illius censuram.

SVMMARIVM.

Non placuit suspensio Edicti sanctæ Inquisitionis Fratri Basilio. n.1.

Publicè post hanc suspensionem illam iterum damnauit in suis lectionibus Salmanticensibus. n.2.

Refertur censura illius. n.3.4. & 5.

Refertur prima censura temeritatis, qua illam affecit, & probatio illius. ibid. n.4. & 5.

Refertur secunda censura scandali, & periculi, qua illam notauit. n.6.

Refertur probatio Fratris Basilij deducta ex Canone Trullano. n.7.

Refertur probatio illius, qua probauit esse contra communem sensum fidelium. n.8.

Refertur tertia nota censuræ malæ sonantiæ, ac cohærentiæ, qua illam perstrinxit. n.9. & 10.

Responsio cuiusdam ignoti Lusitani ad has censuras. à numero 11. vsque ad 26.

Quid egerim post hanc censuram, & responsionem illius. num.27.

NON placuit suspensio Edicti sanctissimi, ac rectissimi Tribunalis sanctæ Inquisitionis regni Castellæ, Fratri Basilio Legionensi, vt diximus *in fine capitis præcedentis, numer. 26.* At placuit Prælatis nonnullis Lusitaniæ. Placuit duabus Academiis regni Lusitaniæ. Placuit omnibus viris doctissimis illius regni, qui prædictam informationem, de qua egimus *capite præcedenti, à numero 12.* suis subscriptionibus firmauerunt. 1.

Is enim Frater Basilius, Magister primarius Theologiæ scholæ Salmanticensis, publicè hanc opinionem, de esu ouorum, & lacticiniorum, in ea Academia damnauit, occasione accepta ex Bulla sanctæ Cruciatæ, quam horis succisiuis interpretandam susceperat, eo fine, vt nos iterum lacesseret: & cùm de ciborum delectu ageret, in hos cibos impingens, hanc ex sententioso suo pectore sententiolam eructauit Censuram anno 1629. mense Martio, & alia, quæ in illius Glossulis inuenientur. 2.

CENSVRA FRATRIS BASILII LEGIONENSIS.

EX *dictis*, inquit Frater Basilius in sua Censura, *colligitur, esse peccatum mortale comedere oua, & lacticinia in diebus quadragesimalibus, sine Bulla, aut priuilegio: quia & est contra Legem, & materia est grauis. In qua re grauiter lapsus est Fagundes in 4. præcepto Ecclesiæ, lib.1. cap.2. n.12. existimauit enim iste Author, non esse peccatum mortale, sed veniale: non, quia sit contra Legem aliquam, sed propter consuetudinem: licèt num. 24. dicat, difficile esse scire, eam consuetudinem obligare: quia difficile iudicari potest, an sit introducta ex deuotione, an ex intentione se obligandi.* 3.

Hæc tamen Fagundes sententia, temeraria, & periculosa est, & prohibita, atque damnata per Edictum sanctæ Inquisitionis, promulgatum in Regia Curia (Matritiana) anno 1627. in prima Dominica Aduentus, & etiam in Festo sancti Andreæ, me præsente. Et in primis temeraria est: quia nullum Authorem habet pro se. Citat primò Glossam in capite, Denique, *distinct.4. ibi:* Hæc, etsi legibus constituta sint: tamen, quia communi vsu recepta non sunt, transgressionis reos non arguunt. *Sed in primis ea verba non sunt Glossæ, sed Gratiani. Deinde addit de suo illa verba:* Tamen sine causa erit veniale. *Quæ verba non sunt in Gratiano, neque in Glossis. Præterea Gratiani verba non possunt determinatè referri ad verba Gregorij in dicto capite,* Denique, *in quibus prohibetur in diebus Quadragesimalibus abstinentia à carnibus, & ouis, sed ad plures alias Leges, & in eo capite, & in præcedentibus relatas, quæ iam non erant in vsu, vel dicit non esse scriptas per modum præcepti, sed consilij, vt constabit legenti. Ex quo etiam magis certum est, verba illa:* 4.

Tamen

Tamen sine causa erit veniale. *non solum esse addita, sed etiam esse repugnantia verbis Gratiani. Denique Glossa est contra illum: nam verbum,* Par, *interpretatur, æquum,* & iustum. *quæ verba denotant obligationem, & significant, verba Gregorij, etiam continere obligationem. Refert etiam Innocentium de obligatione ieiuniorum, & illorum obseruatione, n.5. sed potius aduersatur Innocentius: dicit enim, si quis comedat oua, & lacticinia, extra Quadragesimam, non solui ieiunium: at verò, in Quadragesima ieiunium solui, & peccatum committi. Et sic interpretatur,* Par, *in dicto capite,* Denique, *quibus agnoscit in eo contineri prohibitionem.*

5. *Addit præterea alios contradicere: sed non explicat Innocentius, in quo contradicant: potest enim referri, vel ad hoc, quod dixerat esse peccatum, & ieiunium solui, si quis in Quadragesima comedat oua: vel ad id, quod antè dixerat, in alijs ieiunijs extra Quadragesimam, non solui ieiunium.* Refert *etiam Caietanum in Summa, verbo,* Ieiunium, *sed immeritò, quamuis enim, quod ad præceptum ieiunandi attinet, dubitet Caietanus, an oriatur ex lege scripta, an ex consuetudine, & an sit peccatum mortale violare ieiunium, an veniale: attamen nunquam dubitauit de prohibitione comedendi oua in tempore Quadragesimæ, vt constabit legenti: & præterea ipse Caietanus 2. 2. cum D. Thom. agnoscit peccatum lethale in violatione ieiunij. Refert etiam Palatium, quem non vidi.* Hæc omnia ibi Frater Basilius, & prosequitur:

6. *Non solum hæc Fagundes sententia est temeraria: sed periculosa: tum; quia est contra Legem Ecclesiasticam in dicto cap.* Denique, *prohibentem oua in diebus quadragesimalibus, in ipso capite,* Denique, *dist.4. Nec refert, quòd D. Gregorius dicat in ipso cap. Denique,* par esse, abstinere ab ouis, caseo, & lacticinijs, sicut à carnibus, cum sementinam à carnibus trahant originem. *Nam verbum illud,* Par, *significat obligationem præcepti. Et sic exponunt Glossa, & Innocentius locis citatis.*

7. *Est etiam contra sextam Synodum, vbi expressè prohibentur oua, & lacticinia, sub pœna culpæ mortalis: nam prohibentur Clericis in ieiunijs Quadragesimæ sub pœna depositionis: laicis verò sub excommunicationis: quæ pœnæ graues cum sint, supponunt culpam mortalem, iuxta communem opinionem; & sententiam. Neque obstat, quòd omnes illi non sint probati ab Ecclesia, vt nonnulli existimant, quia excepto Canone de continentia Clericorum, & de primatu Sedis Constantinopolitanæ, omnes alij Canones huius Synodi recepti fuerunt, & illis gubernata est Ecclesia: & præterea ille Canon testatur, eam esse vniuersalem Ecclesiæ obseruantiam.*

8. *Est hæc sententia contra communem sensum fidelium: omnes enim persuasum habent, committi peccatum mortale, si quis comedat oua, & lacticinia in Quadragesima sine Bulla, & omnes se ea de re accusant, & scandalizantur, si vident alios, eos cibos comedere. Est enim materia grauis: & cùm sit prohibita Legibus Ecclesiasticis, vt dictum est, non potest esse peccatum veniale.*

9. *Nec etiam sibi constat hæc opinio. Dicit enim esse peccatum veniale, & dicit prædictum caput,* Denique, *dist. 4. continere consilium, & perfectionem: nam, si est perfectio, & consilium, nullum peccatum est, nec etiam veniale.*

10. Hæc dictauit Magister Frater Basilius Legionensis, Augustinianus, primarius Theologiæ Magister Academiæ Salmanticensis, in explicatione Bullæ Cruciatæ, anno 1629. mense Martio, & alia, quæ in illius scriptis continentur. Sed, antequàm hæc iterum suscitata illius Censura ad meas aures peruenerit, illi respondit, meo iudicio, non ineptè, ignotus quidam Scholaris Lusitanus, pro Lusitanorum honore, fortè: quia non ignotum illi erat; hanc meam opinionem communem esse apud Doctores Lusitanos, & passim in vtraque Academia Lusitaniæ, Pontificiæ Eborensis, & Regiæ Conimbricensis, à doctissimis Magistris dictari. Illius responsionem, vt ad meas peruenit manus, hîc adtexo, in gratiam eorum, qui curiositate ducti hæc legerint.

Steph. Fagundes Apolog.

RESPONSIO IGNOTI LVSITANI, AD CENSVRAM FRATRIS BASILII Legionensis.

Ignotus Lusitanus pro notissima Doctorum Lusitanorum opinione, circa esum lacticiniorum, ouorumque, in ieiunijs Quadragesimæ.

NVper in hac alma, & insigni Academia Salmanticensi, quidam dictans Magister, opinionem Doctorum Lusitanorum, quæ asserit, loquendo præcisè, de Iure communi, & seclusa consuetudine alicuius regni, vrbis, aut diœcesis, non esse plusquàm peccatum veniale oua edere, & lacticinia in diebus Quadragesimæ, in suis Glossulis manuscriptis publicè damnauit, eamque temerariam, periculosam, scandalosam, & malè cohærentem ausus est appellare. Temerariam in primis: quia, vt ipse ait in sua Glossula, nullam habet authoritatem pro se. Cùm tamen habeat omnes Doctores pro se, quotquot sunt hodie cathedratici in sacra Theologia, & vtriusque Iuris disciplina, in insignibus Academijs, Conimbricensi, & Eborensi, regni Lusitaniæ, qui hac de re consulti eam suis subscriptionibus firmarunt, & probabiliorem, veriorem, & solidioribus fundamentis stabilitam appellarunt; quàm oppositam quæ docet, id esse peccatum mortale: & numero viginti supra septem excedunt. Habet etiam pro se plures ex grauissimis Prælatis Lusitaniæ. Habet Illustrissimum Dominum, D. Rodericum à Cunhà, Archiepiscopum Bracharensium, & Hispaniarum Primatem, meritissimum virum, planè doctissimum; vt eius Opera super totum Decretum nuper excusa, quæ à nostris Salmanticensibus quotidie in nostris subsellijs cum magna præfatione honoris allegare audimus, attestantur; & ob literarum splendorem omnibus notissimum, & Philippo etiam IV. Hispaniarum Regi felicissimè nunc regnanti non ignotum: nam, cùm illum è Portuensi diœcesi, in archiepiscopatum Bracharensium, & Hispaniarum Primatum promouit, coram Magnatibus Hispaniæ publicè in aula dixit, (vt ex literis grauissimorum hominum accepimus:) Eligo in Archiepiscopum Bracharensem, Dominum Rodericum à Cunha, Episcopum in Lusitania Portuensem: quia mihi constat, & certus sum, egere Bracharam viro prudenti, ac docto. *Cuius sola authoritas sufficiebat ad reddendam hanc Lusitanorum opinionem probabilem. Is enim Dominus, & Prælatus, sua schedula, manu propria scripta, opinionem hanc benè ordinatam, & fundatam appellauit.* 11.

12. *Ex antiquis habet multos, qui citò, vt speramus, imprimentur. Habet etiam pro se Paulum Palatium, in Summa super Caietanum, verbo,* Ayuno, *folio mihi 238. quem ipse Magister dictans noluit videre, vt temerariam hanc Lusitanorum opinionem appellaret: in quo vitium pigritiæ incurrit, à quo illum non possumus excusare. Ait enim in sua censura:* Citatur pro hac opinione à Stephano Fagundes, Authore Lusi-

tano, Palatius super Caietanum, quem non vidi. Si non vidit, quomodo dicit, hanc opinionem nullum Authorem pro se habere? Sed, vt illum à labore hunc Authorem videndi liberemus, illius verba fideliter apponimus: Quanto al primer capitolo del Author (hoc est, Caietani) donde dice, que donde no ay vso de comer cosas de leche, y guebos, no es licito comerlos, los dias de ayuno, asse de entender, que comer estas cosas sera peccado, pero no mortal, segun Innocentio, lo qual se entiende, donde el vso no declarasse ser mortal no comerlas. Hæc ille. Vbi loquitur absolutè de ieiunio, vt omne ieiunium comprehendat, tam quadragesimale, quàm non quadragesimale. Et prætereà Caietanus in Summa, capite 1. de ieiunio, loquitur de ieiunio Quadragesimæ. Quare non nisi de illo potest Palatius intelligi.

13. Habet etiam textum, cui innitatur. Nam in capite, Rogationes. de consecrat. distinct. 3. in fine, dicitur, in diebus Quadragesimæ posse fideles vti cibis, quibus vtuntur in ieiunijs extra Quadragesimam. Vnde, si in ieiuniis extra Quadragesimam non est peccatum mortale, vesci ouis, & lacticiniis, vt communior fert opinio, quam tenet Diuus Thomas 2.2. quæst. 147. art. 8. ad 3. Medina cap. de ieiunio, quæst. 1. fol. 134. Sanches libro 4. Decalogi. cap. 11. num. 52. Villalobos tractat. 23. difficultate 2. numer. 7. Ioannes de la Crus 3. p. artic. 4. conclus. 4. Lessius lib. 4. cap. 2. dub. 2. numer. 8. Azor tomo 1. Institut. moral. libr. 7. cap. 10. quæst. 1. Rodriguez in explicatione Bullæ Cruciatæ, §. 6. numer. 1. fol. 284. Caietanus in Summa, verbo, Ieiunium. Corduba in Summa, q. 60. & 168. Nider 6. præcepto, cap. 6. num. 8. & alij; nec etiam peccatum mortale erit, illis vesci in Quadragesima. Nam oua & lacticinia non prohibentur in Quadragesima; quia dies Quadragesimæ sunt ieiunij: sed, quia originem trahunt à carnibus. Quare, cùm carnes prohibeantur alijs diebus ieiunij, & non prohibeantur oua, & lacticinia; nec etiam prohibentur oua sub mortali in diebus Quadragesimæ.

14. Asserit etiam iste censorius Magister in sua Glossula censoria, esse temerariam: Quia, inquit, caput, Denique. dist. 4. non dicit id esse veniale, sed id dicit Gratianus. Si id dicit Gratianus, quomodo dicit hic Author, hanc opinionem nullum habere Authorem pro se, cùm ipse pro ea referat Gratianum? Nempe, ignorauit apud Iurisperitos plus authoritatis habere Gratianum, quàm Glossam: aut putauit, Gratianum nullum esse Authorem?

15. Prætereà, deberet animaduertere, ibi, in prædicto c. Denique. dist. 4. dici, Par esse, vt ab ouis, & lacticiniis in ieiuniis Quadragesimæ abstineamus, sicut abstinemus à carnibus. Quam particulam, Par, interpretatur Glossa, æquum, & iustum. Et addit iste Censor, illa verba, æquum, & iustum, in Glossa inducere obligationem peccati mortalis: cùm tamen, iudicio omnium Doctorum vtriusque Academiæ, Conimbricensis, & Eborensis Lusitaniæ, ob materiæ grauitatem, peccatum tantùm veniale inducant. Sed ipse, pro sua insigni animi submissione, omnes Doctores Lusitanos reijcit, & vtramque reprobat Academiam, vt suum iudicium omnibus præponat: & dum se voluit gnarum vtriusque Iurisprudentiæ, & Theologiæ ostendere, ignarum se ostendit Grammaticæ. Quærat à Grammaticis, quis sit verus, ac germanus significatus horum verborum, Par est. Æquum, & iustum est. & an indicent graue, & mortale præceptum; & tunc periùs, & certiùs respondebit.

16. Prætereà, non vidit Dominicum in dicto capite, Denique. dist. 4. vbi ita ait: Dictio, Par, non stat similitudinariè: sed ponitur pro æquo, & iusto, Ac si diceret: Non similis prohibitione peccati mortalis prohibentur in hoc capite esus ouorum, & lacticiniorum, ac esus carnium: nam hæc sub mortali; illa sub veniali prohibentur, & meritò: nam dependentia non puniuntur eadem pœna, qua punitur crimen principale, vt omnes fatentur Iuristæ. Quamobrem, si principale delictum (hoc est, esus carnium) punitur in Iure pœna peccati mortalis; sequitur, dependentias, id est, esus ouorum, & lacticiniorum, non puniri pœna eadem, sed alia mitiori, nempe, venialis.

Tandem, non animaduertit hic censorius Magister, verba, quæ inducunt peccatum mortale, debere esse præceptiua, clara, & manifesta, vt est commune Theologorum effatum: qua de re Medina de ieiunio, tract. 4. c. de necessitate seruandi ieiunia Ecclesiastica, versu, Vt igitur, fol. 140. col. 2. lit. D. quod idem expressè ex Iure communi manifestum est ex cap. Erit autem Lex. dist. 4. ibi; Manifesta quoque erit Lex, ne aliquid per obscuritatem verborum in captionem contineat, nullo priuato commodo, sed pro communi vtilitate conscripta. Ex quibus infero, neminem posse cum veritate asseuerare, aliquam opinionem, nullum Authorem pro se habere, nullum Ius; quin omnes Authores videat, omnia Iura legat, & intelligat. 17.

Reiicitvr Secvnda Censvra.

Appellat etiam hanc Lusitanorum opinionem periculosam, in sua Censura. Probat: quia est contra Legem Ecclesiasticam in cap. Denique, distinct. 4. in qua prohibentur oua in diebus Quadragesimalibus: Sed deberet probare, prohiberi ibi oua, & lacticinia, sub peccato mortali, de quo erat quæstio: nam dictio illa, Par, & verba illa, Par est, vt ab ouis, & lacticiniis abstineamus, sicut abstinemus à carnibus. non inducunt obligationem peccati mortalis, sed venialis, vt expendunt omnes DD. Lusitani vtriusque Academiæ, Conimbricensis, & Eborensis, maximè asserente ibi Gratiano: Hæc non præcipiendo, sed exhortando dicta sunt. 18.

Confirmat, esse periculosam: Quia, inquit, est contra sextam Synodum, in qua expressè prohibentur oua, & lacticinia, sub peccato mortali. Et addit: Neque obstat, quòd Canones illi non sint probati ab Ecclesia, vt nonnulli existimant: quia, excepto Canone de continentia Clericorum, & de primatu Sedis Apostolicæ, omnes alij fuère recepti, & illis semper gubernata est Ecclesia: & prætereà ille Canon testatur, eam esse vniuersalem Ecclesiæ obseruantiam. Hæc ille. 19.

Et miror certè, Authorem Catholicum hoc dixisse: nam hoc non benè sapit. Primò, quia in Canonibus huius Synodi Trullanæ, est quinquagesimus quintus, in quo dicitur, non esse ieiunandum in Sabbathis Quadragesimæ: cùm tamen hoc, error sit. Quare, cùm ille approbet omnes Canones huius Synodi, exceptis illis duobus, de primatu Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & de incontinentia Clericorum, videtur hanc hæresim probare. Quare videat, quomodo, aut quo fundamento in hunc errorem lapsus sit. 20.

Secundò, quia inter Canones huius Synodi est 46. Canon, in quo conceditur licentia Monialibus ad exeundum à Monasteriis, de illius licentia, quæ præest: & Canon 40. in quo dicitur, vt qui professus fiat Monachus, opus esse, vt habeat 12. annos. Est etiam Canon 52. in quo prohibentur Clerici celebrare in Quadragesima, præterquàm in Sabbatho, & die Dominico. Est etiam alius, in quo ad religiosum statum admittit omnes fures, latrones, infames, & viarum grassatores: quæ omnia hodie errorē continēt. Quomodo ergo ausus est dicere, sēper 21.

Eccle-

Ecclesiam Catholicam gubernatam fuisse erroribus? Nã, qui dicit, Ecclesiam semper gubernatam fuisse per Canones istos errores continentes, consequenter dicit, Ecclesiam gubernatam fuisse erroribus.

22. *Planè in hoc grauiter lapsus est censorius iste Magister, & dignus graui censura est: quia omnes Canones huius sextæ Synodi Trullanæ semper fuerunt reprobati ab Ecclesia, vt latè probat Coriolan. in Chronologia Pontific. & Conciliorum, anno Domini 692. discurrens per omnes Canones huius Synodi: & idem docet Seuerinus Binius in admonit. ad Lectorem, vbi agit de Canonibus Trullanis, fol. 224. & 228. & in vita Sergij Papæ, fol. 502. quod egregiè probat doctissimus Baronius tomo 2. in Vaticana, anno Domini 1599. fol. 614.* §. Sed quid amplius. *vbi ibidem totam hanc Synodum, quoad editionem omnium illius Canonum, hæreticam, erraticam, Pseudosynodum appellat. Et id ipsum docet, & ostendit Bellarm. de Rom. Pontif. cap. 12.* §. Argumentum. *& specialiter lib. 1. de Concilijs, cap. 7. & Beda de sex ætatibus, in Iustiniano Minore, & Paulus Diac. de gestis Longobardorum, libr. 6. cap. 11. & hi omnes Authores asserunt, omnes Canones huius Synodi semper fuisse reprobatos ab Ecclesia, tanquam erroneos, deprauatos, & erroribus scaturientes. Quomodò ergo dicit hic bonus Censor, semper Ecclesiam Catholicam illis fuisse gubernatam, si semper illos reprobauit? Certè hic Censor insigniter lapsus est: à quo enixè peto, vt errorem suum corrigat, ne occasio sit auditoribus labendi, sicut ipse lapsus est.*

23. *Tandem miror, hunc Censorem allegare pro se verba prædicti Canonis 56. Trullanæ Synodi erronea, & reprobata, quibus dicitur, hanc esse vniuersalem Ecclesiæ obseruationem: nam ignorauit modum loquendi Hæreticorum, non solum antiquorum, sed etiam recentiorum huius tempestatis. Solent enim ipsi dicere, suos errores esse dogmata Catholica vniuersalia, & illorum doctrinam esse vniuersalem doctrinam, totiusq́; Ecclesiæ Catholicæ, toto orbe dispersæ: vt his verborum phaleris imperitos capiant, & decipiant. Quare miror, quomodo vir peritus in imperitorum hominum decipula captus sit.*

Reijcitur Tertia Censura.

24. A*Ddit denique in sua Censura, sententiam Lusitanorum esse malè cohærentem, & contra communem sensum fidelium. Probat:* Quia omnes se accusant in Quadragesima de esu ouorum, & lacticiniorum, tanquam de peccato mortali; & omnes sibi persuasum habent, committi in hoc peccatum mortale. *Hæc sunt illius verba. In quo confundit consuetudinem cum Iure, & omnia permiscet, vt omnia interturbet. Nam, vbi consuetudo fuerit, earum rerum esum esse mortalem, verum est omnes persuasum sibi habere, peccatum mortale esse ista edere in Quadragesima, & ideo omnes inibi se accusant de harum rerum esu, tanquam de peccato mortali: quod Lusitani non negant, nec negare possunt. At, vbi consuetudo est hæc edere, non possunt omnes sibi persuasum habere, harum rerum esum esse peccatum mortale.*

25. *Et ideò, cum nihil distinguat de Iure, & consuetudine, putauit, consuetudinem Castellæ, consuetudinem esse totius Orbis: in quo falsus est. Nec etiam de Iure potuit dicere, omnes fideles vbique terrarum persuasum sibi habere, oua, & lacticinia prohibita esse in Iure sub peccato mortali: cum tamen, Dei gratia, omnes Lusitani Doctores, & Magistri vtriusque Academiæ, Conimbricensis, & Eborensis, fideles sint; & optimi fideles; & tamen persuasum sibi non habent, hoc esse peccatum mortale, de Iure communi loquendo. Nec omnes fideles Lusitaniæ se accusant in Quadragesima de esu earum rerum, tanquam de peccato mortali: quia ferè vbique in toto hoc regno, hæc de consuetudine, sine scrupulo peccati alicuius mortalis, vel venialis, eduntur, in portubus etiam maritimis. Nec etiam omnes fideles regni Castellæ se ea de re accusant: nam,* Dei gratia, *in ipsa Castella, in* Episcopatu *Placentiæ, consuetudo licitum fecit esum ouorum, & lacticiniorum in Quadragesima: &* in Episcopatu *Ouetensi, saltem in bona parte illius, & in tota Legionensi diœcesi, oua, & lacticinia licitè comeduntur: in Oxomensi verò, & Pacensi lacticinia, non oua, aut oua, & non lacticinia: & tamen, Dei gratia, illic omnes fideles sunt, nec ea de re in confessionibus se accusant, nec scandalizantur, si videant alios hæc ibi eo tempore edere; & extra Castellam, in Gallia, Germania, & Belgio, idem esse poterit. Quomodo ergo, aut quo fundamento ausus est dicere hic bonus Censor, vbique terrarum, omnes fideles persuasum habere, id esse peccatum mortale, & omnes se ea de re accusare? At errauit in Geometria, & terrarum dimensione: putauit enim aliquorum diœcesum Castellæ esse consuetudinem totius Orbis, aut patriam suam totum Orbem esse.*

Hæc Ignotus Ille Lusitanus.

VBi primum de hac censura, & responsione 26.
huius ignoti Lusitani admonitus fui, statim animum suscepi, me defendendi, calamum sumpsi, scripsi hanc defensionem, quam capite sequenti apponimus; & procuraui, vt à Doctoribus Conimbricensibus, & Eborensibus vtriusque Academiæ Lusitaniæ subscriberetur. Misi illam ad insigniores totius Hispaniæ Academias, nempe ad Athenas Salmanticensium, & Complutensium, quarum insigniores Doctores eam suis subscriptionibus firmarunt, & illorum iudicium in capite sequenti in suis subscriptionibus videri poterit.

CAPVT III.

Aduersus criminationes, & voluntariam Censuram, pronuntiatam à Fratre Basilio Legionensi, in suis lectionibus Salmanticensibus, Informatio pro Patris Stephani Fagundes, è Societate IESV *opinione de esu ouorum, & lacticiniorum tempore Quadragesimæ.*

SVMMARIVM.

Proponitur causa, ob quam hæc defensio ab Authore suscepta fuit. à numero 5. vsque ad 3.

Tollitur prima censura temeritatis, quam huic opinioni aduersarij inurunt. n. 4. 5. & 6.

Tollitur eadem censura, quatenus inuritur ex defectu Authorum. à numero 7. vsque ad 21.

Ostenditur habere hanc opinionem pro se rationem à numero 22. vsque ad 23.

Ostenditur habere vsum, & praxim totius Lusitaniæ, & multorum locorum Hispaniæ. à numero 34. vsque ad 37.

Infertur conclusio dictorum, & ostenditur refutatio censuræ temeritatis. numero 38. & 39. ad 40.

Ostenditur non esse hanc opinionem scandalosam, nec piās aures offendere. à n. 40. vsque ad 47.

Liberat Pater Stephanus Fagundes, è Societate IESV, *Lusitanus, opinionem suam, & totius regni Lusitaniæ, de esu ouorum, & lacticiniorum in ieiuniis Quadragesimæ, ab omni censura; & respondet omnibus imputationibus illius.*

1. DIDI in lucem tomum quendam, cuius titulus est, *Tractatus in quinque præcepta sanctæ Matris Ecclesiæ.* Et *in lib. 1. quarti præcepti de ieiunio, cap. 2. numer. 6. & præcipuè à numero* 10. *vsque ad* 15. *fol.* 747. *eiusdem tomi*, asserui, mihi videri, loquendo ex vi Iuris communis, seclusa omni consuetudine alicuius loci, vel regni, aut prouinciæ, esse solùm culpam venialem, oua edere, & lacticinia, in ieiuniis Quadragesimæ; & locutus fui *ex vi Iuris communis*: quamuis mihi velint aliqui imputare, me fuisse locutum absolutè, comprehendendo, videlicet, tam Ius, quàm consuetudinem regnorum, & prouinciarum: quod non ita planè est.

Nam loquendo de consuetudine, *numer.* 14. eiusdem capitis secundi, hæc dixi: *In locis iis, in quibus consuetudo est hæc non edere, ad mortale obligabit: certum est enim, mortale peccatum esse, non abstinère ab ouis, & lacticiniis, quando ea solum per consuetudinem sunt prohibita: nisi legitima causa excuset.* Et *in numero* 11. expressè assero, nullum esse peccatum, nec veniale quidèm, hæc edere, vbi consuetudo, illorum vsum, & esum licitum fecit, ibi: *Vbi tamen consuetudo est legitima comedendi illa, comedi possunt, absque vlla culpa mortali, & absque fractione ieiunij. Et manifesta ratio id conuincit: cum enim hæc prohibitio sit tantum Iuris positiui, potest contra illum prævalere consuetudo: sicut è contrario, vbi consuetudo est, non vescendi illa, vesci non poterunt.* Hæc ibi.

2. Qui autem, cum de consuetudine agit, tam clarè, & distinctè loquitur, clarum est, cum sermonem instituit de Iure, & ad hoc explicat textus Iuris canonici, ex quibus obligatio Iuris deducitur, loqui ex vi præcisa Iuris, non absolutè, comprehendendo Ius, & consuetudinem. Et *in numero* 12. *ad finem*, vbi vim Iuris, & capitis, *Denique, distinct.* 4. qui textus est vnicus, qui de hac materia loquitur, expendo, ita aio: *Vnde patet, quantum ex textu deducitur, hoc non esse peccatum mortale.* Et *numero* 10. id clarè dico. Et est regula certissima Expurgatorii Romani, in instructione ad eos, qui libros sunt expurgaturi, in titulo, *De correct. librorum*, §. 4. quòd, quando Author aliquis in vno loco loquitur clarè, & in altero obscurè, reducendum esse locum obscurum ad clarum, non clarum ad obscurum. Sed, nec hoc necessarium est nobis: tam clarè enim loquimur, vt his subsidiis non indigeamus. Si tamen aduersariis visum fuerit, me in aliquo loco mei tomi non tam clarè fuisse locutum, debent iuxta hanc regulam pontificiam eum locum ad claritatem, & perspicuitatem horum locorum reducere.

Et hæc mea doctrina de esu ouorum, & lacticiniorum tradita, nullibi (quod sciam) reprehensa est; imò magnis laudibus euehitur. Soli nonnulli (pauci quidem) extra Lusitaniam, nomine scandali, temeritatis, malæ sonantiæ, ac cohærentiæ, in eam excanduerunt. Et quia hæ notæ sunt graues, & toti regno Lusitaniæ, in quo hæc opinio inualuit, inuruntur; pro mea, & Lusitanorum opinione, & authoritate, Lusitanus cum sim, insurgo. Et ostendam, à Doctoribus Salmanticensibus, & Complutensibus, in hoc regno Lusitaniæ fuisse primò traditam, & edoctam; vt sciant Domini Doctores aduersarij, illorum damnare, cum doctrinam Lusitanorum damnant, 3.

§. I.

TOLLO PRIMAM NOTAM, ET CENSVRAM *temeritatis, quam aduersarij doctrinæ Lusitanorum inurunt.*

VT aliqua doctrina temeraria iudicetur, & tanquam talis damnetur, debet esse contra communem sensum, & consensum Doctorum; debet carere solidis fundamentis, & probabilibus rationibus: hoc suppono ex Theologia; & est certa regula Theologorum, & nemo negat. Hæc mea, & Lusitanorum opinio habet solidissima fundamenta; habet probabilissimas rationes; habet authoritatem Doctorum, ac Magistrorum omnium Facultatum vtriusque Academiæ regni Lusitaniæ, Regiæ Conimbricensis, Pontificiæ Eborensis; habet vsum, & praxim omnium Parochorum: habet Illustrissimos Prælatos: habet Doctores antiquos, & recentiores: habet omnes viros doctos, ac Theologos regni Lusitaniæ, qui omnes, priusquàm infrà subscripserint, illi operam nauarunt diligentissimam; & multi affirmant, se eam in Academijs huius regni publicè docuisse. Ergo non est temeraria; neque contra communem sensum, ac consensum Doctorum. 4.

Et, quia nimis longum, ac prolixum esset, omnes approbationes referre: qui videre illas cupit, ad finem huius Tractatus inueniet; & illorum plerique hanc opinionem solidioribus fundamentis stabiliunt, veriorem, & probabiliorem opposita, quæ docet, id esse peccatum mortale, appellant. Et, quia tam in regno Castellæ, quàm alibi, dubitari poterit, an veræ sint subscriptiones tot Prælatorum, tot virorum doctorum, tot insignium Cathedraticorum omnium Facultatum huius regni; curauimus, vt in Castella ty- 5.

pis

pis mandarentur, & vt nostra opera in forma publica Notariorum apparerent, infrà in calce huius Tractatus.

6. Et, quamuis nonnulli horum Doctorum sua Opera adhuc in lucem non ediderint, & nouiores sint, hoc potius iuuat, iuxta regulas tradi solitas, in materia de conscientia: tum, quia literis sunt notissimi: tum, quia consulti rem expressius, & accuratius indagarunt; & præcipuè Illustrissimus, ac Reuerendissimus Dominus, D. Fr. Lupus de Segueira, Episcopus Portulagrensis, qui occasione nouarum Constitutionum, quas molitur ipse per se diligentissimo studio, veritatem inquisiuit, & accuratè per suos Senatores indagare fecit. Itaque ex modernis habemus omnes Doctores Lusitaniæ, paucis exceptis, quos per temporis angustias, & locorum distantiam consulere non potuimus.

§. II.

TOLLITVR EADEM CENSVRA, QVÆ AB *inuritur ex defectu Authorum.*

7. EX antiquis Doctoribus hanc opinionem tenuit Paulus de Palatios, Doctor Salmanticensis, Theologus Granatensis, natione Hispanus, in suis Annotationibus, quas scripsit super Summam Caietani, Eboræ, anno Domini 1557. impressis iussu Serenissimi Infantis, Cardinalis Lusitaniæ, Archiepiscopi Eborensis, postea Regis eiusdem Lusitaniæ, quæ visæ, & approbatæ fuerunt à sapientissimis Doctoribus, & Magistris, Fr. Bartholomæo de Martyribus, posteà Archiepiscopo, & Domino Bracharensium, & Hispaniarum Primate meritissimo; & à Patre Fratre Iacobo de Moraës, Præsentato Ordinis Prædicatorũ, qui tunc temporis in eadem Religione, zelo animarum, & literis, & opinione sanctitatis florebant: & cum fuerit ab illis approbata, meritò eos pro nostra parte numerare possumus, & iurè asserere, hos etiam viros hanc opinionem tenuisse.

8. Et non est iste Palatius, ille alius Palatius, qui scripsit super Libros Sententiarum: ille enim alius, Michael; iste, Paulus vocabatur. Et in hoc lapsi sunt Domini Doctores aduersarij; quando asseruerunt, falsò à me Palatium fuisse allegatum, cum Palatius non super Caietanum, sed super libros sententiarum scripserit. Sed illorum minor notitia circa Authores, non mihi vitio allegationis falsæ vertenda est. Benè verum est, vtrunque fuisse Hispanum. Sed iste Paulus apud nos vixit, apud nos moratus, apud nos mortuus est, apud nos docuit sacram Theologiam, & sacrarum Literarum Interpres fuit in insigni Academia Conimbricensi non pœnitendus. Iacet in Collegio Conimbricensi sanctæ Mariæ de Gratia, Ordinis Illustrissimæ Familiæ D. Augustini. Dicant modò Domini Doctores aduersarii, me, authoritate Doctorum [illegible]orum destitutum, hunc Authorem finxisse, vt meæ opinioni authoritatem adderem.

9. Hic igitur Paulus de Palatios in prædictis Annotationibus, quas Hispano idiomate super Caietanum scripsit, *cap.* 4. *& folio eiusdem libri* 238. (quem, si opus fuerit, ostendam: ad hunc enim finem, illum ex Lusitania mecum attuli,) loquens de ieiunio ita ait: *Quanto al primer capitulo del Author,* (hoc est, Caietani,) *donde dice, que donde no ay vso de comer cosas de leche, y guebos, no es licito comerlos, los dias de ayuno, hase de entender, que comer estas cosas sera peccado, però no mortal, segun Innocentio.* Hæc ille. Et notandum est primò, loquutum fuisse hunc Authorem de ieiunio absolutè, in quo omne ieiunium comprehendit, tam Quadragesimæ, quàm extra illam. Nam, qui totum dicit, nihil excludit. *a* Notandum est secundò, Caietanum in eo primo capite suæ Summæ à Palatio citatum, loqui de ieiunio Quadragesimæ. Quare explicatio Palatii, non nisi de ieiunio Quadragesimæ potest intelligi, non de alio, vt patet.

Et quamuis Palatius citet pro se Innocentium *in Rubric. de obseruat. ieiun.* & Innocentius *ibi n.* 5. solum de ieiunio extra Quadragesimam sermonem inferat: loquens verò de ieiunio Quadragesimæ dicat, violari illius præceptum esu ouorum, & lacticiniorum: attamen potuit Paulus de Palatios illum pro se allegare, vt ego etiam feci in meo tomo in quinque præcepta Ecclesiæ: quia existimauit ipse, (vt ego etiam existimaui,) eandem abstinentiam culpæ venialis dari in esu ouorum, & lacticiniorum, in ieiuniis Quadragesimæ, & extra illam: quia constat *ex capite, Rogationes. in fine dist.* 3. ijsdem met cibis vtendum esse in ieiuniis quadragesimalibus, atq; extra Quadragesimam, ibi: *Quo triduo omnes abstineant*, id est, ieiunent: *& quadragesimalibus cibis vtantur.* Quis autem negabit, ieiunium Rogationum, ieiunium esse extra Quadragesimam? Et quamuis hodie in nonnullis prouinciis non vigeat hoc ieiunium: at viguit olim. Vnde, si solum erat peccatum veniale in iisdem ieiunijs extra Quadragesimam lacticinia, & oua edere ex sententia Innocentij; cum ijsdem cibis vtendum sit in ieiunijs Quadragesimæ, atque extra illam: sequitur, vt non nisi veniale sit illis vti in ieiunijs Quadragesimæ.

a Glossa in cap. Solitæ. de maiorit. & obed. in verbo, Quodcũque, *L.* 3. *ff. de Offic. Præsid. Cap.* Si Romani. *dist* 19.

Nec respondeant Domini Doctores aduersarii, prohibitionem ouorum, & lacticiniorum, sub mortali, non esse de ieiunij essentia in communi; sed esse de ieiunij essentia in Quadragesima. Nam hoc abundè refutabimus *infra c.* 3. *a num.* 27. 10.

Hunc igitur Authorem Palatium pro mea opinione, & Lusitanorum, in meo tomo in quinque præcepta Ecclesiæ, allegaui. Secundus, quem allegaui, fuit Glossa in *cap. Denique. dist.* 4 super illis verbis textus: *Par autem est, vt quibus diebus,* (hoc est, ieiunij Quadragesimæ,) *à carnibus abstinemus, ab iis quoque, quæ sementinam à carnibus originem trahunt, abstineamus, ab ouis, scilicet, & lacticinijs.* Vbi Glossa explicans illud, *Par,* ita ait: *Æquum, & iustum est.* Quæ verba, tam textus, quàm Glossæ, vt notant omnes Doctores Lusitaniæ vtriusque Academiæ, Regiæ Conimbricensis, & Pontificiæ Eborensis, Lusitaniæ Prælati, & omnes Doctores eius regni, qui infrà subscripserunt, non inducunt prohibitionem mortalem: inducunt tamen aliquam venialem: quia oua, & lacticinia trahunt originem à carnibus, & sunt veluti quædam dependentiæ illarum; & transgressiones dependentiarum non eodem modo, nec eadem pœna puniuntur in Iure, qua punitur principale delictum. Quare, si principale delictum puniebatur in Iure pœna peccati mortalis; dependentia debet puniri, non eadem pœna peccati mortalis, sed alia leuiori venialis peccati. 11.

Allegaui etiam in meo tomo in quinque præcepta, Glossam in illis verbis: *Hæc, etsi legibus constituta sunt: tamen, quia communi vsu approbata nõ sunt* 12.

transgreßionis reos non arguunt. Et asserui, dictionem illam relatiuam, *hæc*, ad prohibitionem mortalem carnium referri non posse: quia manifestum erat, peccare mortaliter illos, qui illas comedunt in ieiunijs Quadragesimæ, & transgressores esse præcepti, & mortalis culpæ reos; & ideò referendam esse ad omnes alias quæstiones, quarum solutionem Augustinus, Anglorum Episcopus, à Summo Pontifice, & à Sede Apostolica postulauit, quas inter, præcipua erat hæc, de esu ouorum, & lacticiniorum in Quadragesima.

13. Et hîc mihi Domini aduersarij tria imputant peccata, tres errores. Primus est, quòd verba illa non sunt Glossæ, sed Gratiani. At sciebam optimè, illa esse Gratiani, non Glossæ: sed communi, & vulgari nomine, & sensu, omne illud, quod non est textus, & est explicatio illius, quamuis sit variorum Doctorum, Glossam appellamus. Sic in Glossa communi sacræ Scripturæ, omnes Authores, qui illius textum explicant, vnico vocabulo Glossam communem appellamus. Sed, si ad Glossam hi Domini Doctores Gratianum addunt, illis gratias maximas persoluimus: quia ex illorum sententia habemus pro nostra opinione tres antiquissimos Doctores; primum, Glossam; secundum, Palatium; tertium, quem nobis addunt, Gratianum.

14. Secundus error, quem nobis imputant, est, quòd verba illa relatiua, *hæc*, &cæt. non sunt referenda ad interrogationem ouorum, & lacticiniorum; sed ad omnes alias interrogationes, hac excepta; vel ad interrogationem immediatam illis verbis, quæ erat, an vtendum esset vino in ieiunijs Quadragesimæ.

15. Sed ad hoc breuissimè duo respondeo. Primum est, quòd non assignabunt maiorem rationem, quare verba illa relatiua referenda sint potius ad vltimam, & immediatam interrogationem Augustini, quàm ad omnes alias: quare hoc videtur liberè dictum, & sine fundamento: quia Gratianus intendebat illic explicare omnes quæstiones, quas Augustinus à Papa inquisiuit, & omnibus respondit his verbis: *Hæc, etsi legibus constituta sunt*, &c. Quare omnes, sine dubio, comprehendit. Sin minus, ostendant mihi, vbi sit explicatio commentaria, quam dedit Gratianus interrogationi ouorum, & lacticiniorum. Profectò non ostendent. Deinde, si Gratianus illis verbis relatiuis voluit tantum respondere ad vltimum, & immediatum dubium de vsu vini in Quadragesima, & non ad omnia alia dubia, dicendum illi erat, *hoc*; & non, *hæc*.

Respondeo secundò, in ordine textus, & capitis, *Denique, dist.* 4. hanc de ouorum, & lacticiniorum esu quæstionem, non esse primam, nec esse vltimam; sed in medio esse sitam, & collocatam. Quomodo ergo respondit Gratianus vltimæ, & immediatæ quæstioni, omnibus alijs exceptis? Aut, quomodo respondit alijs, dempta hac vna, & præcipua, quæ erat in medio: cum tamen, tanquam vetus Glossator, omnes intenderit explicare? Quare Domini Doctores aduersarii, hoc neruosò argumento pressi, effugium istud inuenerunt, incongruum profectò: quærant aliud congruentius.

16. Tertius error, quem mihi imputant est, quòd ego ad verba Gratiani addiderim ex meo marte, in meo tomo in quinque præcepta Ecclesiæ, illa verba: *Tamen sine causa erit veniale*. cum illa in Gratiano, in eo textu capitis, *Denique*. non inueniantur. Ad quod respondeo cum Diuo Hieronymo, epistola ad Lucinium, paulò post medium: *Post impreßionem relegere non potui.* Quia liber ille meus Lugduni impressus fuit: ego eram tunc temporis Olysippone. Ille in Gallia imprimebatur: ego eram in Lusitania. Et addit D. Hieronymus, quod ego etiam addo: *Si paragrammata repereris, vel minus aliqua descripta sunt, quæ sensum legentis impediant; non mihi debes imputare, sed imperitiæ Notariorum, & Librariorum incuriæ, qui inscribunt, non quod inueniunt, sed quod intelligunt*. Respondeo insuper cum Martiale *lib* 2. *Epigram*. 8.

Non meus est error: nocuit Librarius.

Nam lineam extendit ille vltra id, quod ego posui cum linea.

Demus tamen, quòd ego id, tanquam ex Gratiano, addiderim; quid hoc interest? cum reuerà Gratianus id ipsum dicere intenderit, vt demonstratum est, cum dixerit: *Hæc transgreßionis reos non arguunt*. Et sermo ibi illi erat de dubijs, ac quæstiunculis, de quibus Augustinus, Anglorum Episcopus, quæsiuit à Summo Pontifice, an peccatum mortale illarum rerum transgressio contineret. Quarum præcipua erat (vt dixi) illa quæstio de ouorum, & lacticiniorum esu in Quadragesima. Responditque Gratianus, non continere: & tamen negare ille non poterat, continere veniale, cum talis vsus sit dependentia à carnibus, & minor transgressio, quæ minorem culpam supponit.

Citaui etiam in meo illo tomo, pro mea opinione, sapientissimum Patrem, ac Doctorem Complutensem, Ferdinandum Perez, nostræ Societatis, Professorem Theologiæ in ea insigni Academia, antequàm Societatem nostram ingrederetur; virum sanè insignem literis, & sanctitate, quem omnes Doctores Lusitaniæ in maioribus dubiis, tanquam literarum Apollinem, consulebant; qui in vtraque Academia, Conimbricensi, & Eborensi, hanc opinionem docuit, dictauit, & legit, illamque authoritate Palatii, sui contemporanei, & amici, confirmauit. 17.

Respondent Domini Doctores aduersarij, se, nec hunc Doctorem cognoscere, nec vidisse illius Glossas; & fortassis potuisse à me tam falsò allegari, quàm falsò allegaui Palatium. Benè quidem respondent: nam, si virum hunc cognouissent, nunquam opinionem illius damnassent, nũquam lacerassent. Quærant à Lusitanis, quis fuerit hic tantus, ac talis vir. Glossæ verò illius hodie non solum inter Parochos regni Lusitaniæ: sed etiam inter præstantissimos Doctores, & (quod caput est) inter Patres, ac Magistros nostræ Societatis, in hoc regno, tam assiduè manibus atteruntur, tam crebrò leguntur, vt omnes mihi in faciem conspuerent, si falsò illas allegassem. Iam verò, si tam falsò hunc virum allegaui, quàm falsò allegaui Palatium, bene mea res habet, malè illorum agitur. 18.

Hic ergo Ferdinandus, Doctor Complutensis, & Cathedraticus, post Palatium, Doctorem Salmanticensem, hanc opinionem in Lusitaniam inuexit, & ab his duobus sapientissimis viris in vtraque Academia huius regni, Conimbricensi, & Eborensi, edocta est. Posteà illam docuit etiam in his duabus Academiis sapientissimus Doctor Iacobus de Cysneros, in vtroque Iure doctoratus laurea in Vniuersitate Conimbricensi insignitus,

nostræ

nostræ Societatis, qui Romæ per multos annos, mirabili auditorum plausu, moralis Theologiæ cathedræ Doctor exstitit, ac Magister. Post hos autem tantos; ac tales viros, hanc etiam opinionem in hoc regno Lusitaniæ, tam Eboræ, quàm Olysippone, publicè docuit Pater Baptista Fregosius, vir planè nostræ Societatis doctissimus, cuius Opera laudatissima lucem aspicient quàm citissimè: iam enim penè in prælo sunt, vt ipse sua inscriptione infrà apponenda testatus est.

19. Alii post hos illam etiam docuerunt. Nouissimè verò anno 1629. eam publicè sustinuit, ac docuit in publicis actionibus Reuerendissimus Pater, ac sapientissimus Doctor ac Magister, Fr. Paulus à Natiuitate, ex augustissima Familia Diui Benedicti, in hac Academia Conimbricensi, in suo insigni Collegio, vt ipse infrà attestatur: alios prætereo, ne longus sim. Dicant modò Domini Doctores aduersarii, me fuisse primum, qui hanc opinionem in Orbem inuexi; & ideò, tanquam nouam, ac nuperam, exsibilandam esse.

20. Nec in me reprehendendus est hic modus allegandi Glossas manuscriptas insignium Doctorum: quia id ipsum agunt passim Pater Vasquez, Pater Henriquez, Lessius, Azor, & alii passim viri doctissimi, vt sæpè in illorum Operibus reperimus; & Vidaldus, qui passim allegat Glossas manuscriptas Doctorum Salmanticensium.

21. Hi ergo sapientissimi Authores, quos in meo libro allegaui, Palatium, scilicet, Glossam in verbo, *Par.* Gratianum ibi, & Ferdinandum Perez cum praxi regni Lusitaniæ, & continuo docendi vsu, iudicio prudentum sufficiunt, vt hanc opinionem valdè probabilem efficiant. Nunc verò, cum magni nominis, & authoritatis viri, & Prælati, & iudicium vtriusque scholæ, Conimbricensis, & Eborensis, & approbatio tot virorum insignium, & literis præcellentium totius Lusitaniæ accesserint; non solum valdè probabilem, sed etiam probabilissimam esse, imò certiorem, & veriorem oppositâ, quæ docet, id esse peccatum mortale, prudens quilibet iudicabit. Quamobrem inferant ex dictis Domini Doctores aduersarii, opinionem hanc habere primam qualitatem, ne temeraria iudicetur: patrocinium, scilicet, Doctorum, (& plures etiam ex antiquis pro ea citabimus in capite vltimo huius Informationis:) & ex defectu huius patrocinii non posse damnari, imò plerique Doctores Lusitani temerarios appellant illos, qui temeritatis notam solidæ doctrinæ inurunt.

§. III.

HABET HAEC OPINIO PRO SE RAtionem.

22. SEcunda qualitas, quæ requiritur, vt aliqua opinio temeraria non sit, ea est, vt probabilibus rationibus, & fundamentis innitatur. Confirmaui hanc meam opinionem in meo libro duabus rationibus. Prima, quia Summus Pontifex facilè dispensat in esu ouorum, & lacticiniorum, in ieiuniis Quadragesimæ, in Bulla Cruciatæ: difficilè verò in esu carnium; quia in hoc non dispensat, nisi de consilio, & iudicio vtriusque Medici. Nõ est ergo eadem ratio, & culpa mortalis in vtroque casu: nam, si vtrobique daretur eadem ratio, & pœna culpæ lethalis, vtrobique etiam daretur eadem difficultas in dispensando. Non datur. Ergo nõ datur vtrobique eadem pœna culpæ mortalis.

23. Secunda, quia, si sub eodem præcepto, eodem modo, & pœna præciperetur in Quadragesima abstinentia ouorum, & carnium, sequeretur, quòd, sicut ille, qui facultatem habet ad edendas carnes in Quadragesima, non tenetur ieiunare, iuxta meliorem opinionem Doctorum *a*, quę docet, dispẽsatum in esu carnium; dispensatum quoque esse in ieiunio; ita etiam non teneretur ieiunare ille, cum quo dispensatur in esu ouorum, & lacticiniorum. Consequens est falsum. Ergo & antecedens.

a *Medina in Sum. c.14. §.10. fol.71. vers.* Per lo qual. *& fol.74. vers.* Quientine. *Henriquez lib.7. de Indulg. c.13. vers.* Dispensato. *Flamma 3.p. Methodi, c.5. §.26. ad fin. Azor tom.1. lib.7. cap.10. q.3. Caiet. 2. 2. q.147. art.1. Gabriel in 4. dist.16. q.3. a.3. dub.1. §.* De secũdo. *Corduba in Summ. q.192. Palatios in 4 disp. 8. concl.6. dist.15. Anton. Bernardes in Sum. c.22. n.18. & alij communiter.*

Sed contra primam rationem insurgunt, & aiunt, eam rationem esse debilem, & apparentem. Primò, quia sunt nonnulla peccata lethalia; inducta per præcepta; quæ sunt de se leuia, in quibus facilius dispensatur, quàm in aliis grauioribus: tale esse peccatum, quod in esu ouorum, & lacticiniorum committitur in Quadragesima: & idcircò, cũ leue sit, facilè in eo Summum Pontificem dispensare. Et quòd hæc culpa sit leuis, id probat etiam Sanches *tomo 1. Decalogi, lib. 4. c. 11. n. 46*, vbi ait, abstinentiam ouorum esse abstinentiam rei minoris, quàm abstinentiam carnis; & idcircò, qui vouet abstinentiam carnium, non vouere abstinentiam ouorum: quod id ipsum docet Suares *tomo 4. de Religione, c.7. n.9.* 24.

Sed responsio ista nullum habet fundamentum. Primò, quia iam fatentur hi Domini Doctores, esse peccatum mortale; sed leuissimum. Id ergo, quod leuitatis habet, est adeò leue, asserunt Doctores Lusitani, vt à grauitate mortali excusetur, & solũ maneat in statu culpæ venialis ob materiæ leuitatem: & ideò, quamuis prohibeantur oua in eodem præcepto, quo prohibentur carnes, non prohiberi eodem modo, & eodem rigore pęna lethalis noxæ. Sicut sub eodem præcepto culpę mortalis præcipimur audire integrum Sacrum diebus festis: & tamen, qui leuem partem Sacri omittit, non peccat mortaliter, sed venialiter. 25.

Quod autem oua, & lacticinia non prohibeantur in Iure eodẽ modo, & pœna noxæ mortalis, patet. Nã, cum iã essent in Iure prohibitę carnes sub eadẽ noxa mortali in Quadragesima; dubitauit Augustin. Anglorum Episcop. an eodẽ Iure prohiberentur, etiam sub eadem pœna lethali, oua, & lacticinia in Quadragesima. Et responsum fuit illi à Papa, *in cap. Denique, dist. 4.* in hunc modũ: *Par autem est*, &c. Et sicut Summus Pontifex respõdit, id *par esse, siue conueniens, seu iustum & æquum*, vt Glossa ibi explicat, facilè poterat respondere affirmando: sed noluit id respõdere; quia durissimum illi visum fuit, pœnam lethalem gehẽnæ neophyto Christiano recèns ab ebrietate, & comessationib. gentilitatis ad sobrietatem fidei conuerso, quales tunc temporis erant Angli, constituere; eò solum, quòd frustulum casei, aut ouum comederet. 26.

Nec iustè ad hoc possunt respondere Domini Doctores aduersarii, abstinentiam ouorum, & lacticiniorum non esse de essentia ieiunii in communi: esse verò de essentia ieiunii in Quadragesima, spectato Iure; quia hoc est petere principium: de hoc enim dubitatur, & procedit 27.

quæstio;

quæstio; & afferre pro ratione id, de quo dubitatur, & quod controuertitur, non congruit, nec solet fieri à Doctoribus.

Non dubitamus tamen, de consuetudine posse in Castella, (vt de facto est,) & in nonnullis aliis Orbis partibus, esse culpam lethalem ab ouis, & lacticiniis in Quadragesima non abstinere: & ibi harum rerum abstinentiam esse de essentia ieiunii Quadragesimæ: sed id tunc non prouenit ex vi Iuris, sed ex vi consuetudinis: nostra autem quæstio procedit de Iure, & non de consuetudine. Quare Domini Doctores aduersarii, cùm se vident oppressos argumentis Lusitanorum, quibus ostenditur, ex vi Iuris id non esse peccatum mortale, recurrunt statim ad consuetudinem, tanquam ad asylum, & aiunt, consuetudinem esse optimam Iuris interpretem, & illam in Castella interpretatam fuisse harum rerum abstinentiam obligare sub mortali.

Ad hoc autem respondemus, non opus esse, vt consuetudo Iuri innitatur, ad hoc, vt possit obligationem inducere sub mortali: quia hoc nihil aliud est in substantia, quàm vim consuetudinis eneruare, ac dicere, illam sine Iure scripto non posse peccatum mortale inducere: & per consequens, id perinde est, ac auferre potestatem Principibus Ecclesiasticis ferendi leges, quę obligent sub mortali: nam ideò consuetudo legitimè introducta, & à Prælatis approbata vim legis habet; quia Prælati easdem leges possunt facere: cū autem approbant aliquam consuetudinem, in ea re legem faciunt, & Ius condunt: & ideò, propriè loquendo, consuetudo Ius constituit, ac leges figit; non declarat, nec interpretatur: qui enim declarat aliquid, supponit obligationem, quæ declaratur, ex alio principio prouenire.

28\. Quòd si voluerimus hunc modum loquendi admittere, eadem facilitate respondebunt Lusitani, qua respondent Doctores aduersarii, scilicet, in regno Lusitaniæ consuetudinem etiam interpretatam fuisse, ouorum, & lacticiniorum abstinentiam non esse de essentia ieiunij in communi extra illam: & sic vnusquisque sequatur suum morem, suum vsum, suum interpretem. Sed hoc in summa est dicere id, quod ego in meo libro dixi, consuetudinem obligare sub mortali in locis, & prouinciis, in quibus obtinuit.

29\. Arguunt etiam Domini Doctores aduersarij contra meam primam rationem, illam esse apparentem, non concludentem: quia animaduersurus eram, cum meum librum inscripsi, Summū Pontificem ideò in Bulla Cruciatæ, facilè in esu ouorum dispensare in Quadragesima, quia attendit ad penuriam piscium regni Castellæ, & ad necessitatem, quam incolæ illius regni patiuntur, cui sufficienter per ouorum, & lacticiniorum esum succurritur, id petente Catholico Hispaniarum Rege, vt modo, quo possit, necessitatem suorum vassallorum adiuuet: & animaduersurus etiam eram, fortè alibi in aliis prouinciis rigorosè posse hanc ouorum abstinentiam sub lethali culpa obseruari.

30\. At respondeo, nullo modo ex eo, quod arguunt, probari, esse peccatum mortiferum, loquēdo ex vi Iuris, oua edere in Quadragesima, & præceptum ieiunii violari. Probant tamen eleganter, supposito quòd id sit peccatum lethale, dari rationabilem causam dispensandi in eo esu in Quadragesima. Respondeo secundò, dispensationem hanc solum esse necessariam; & habere locum in Castella, & in aliis prouinciis, in quibus consuetudo illicitum fecit hunc esum: non verò in iis, in quibus vsus illum fecit licitum, & ideò nihil præiudicat hæc Lusitanorum opinio consuetudini Castellæ, & aliarum prouinciarum, in quibus consuetudo illum sub mortali fecit illicitum. In Lusitania autem, attenta consuetudine, non est peccatum mortiferum hic ouorum, & lacticiniorum esus in Quadragesima. Et hæc consuetudo Lusitaniæ nullum impedimentum est emolumētis Cruciatæ in eadem Lusitania, vt patet: quia, quamuis in hoc regno tantum veniale reputetur hoc peccatum ex vi Iuris; tamen hoc nihil impedit Cruciatæ emolumentis: nam plus valent hi redditus in Lusitania, quàm in qualibet alia vtriusque Castellæ parte, quę terrarum tractu, & populis, & numero vrbium æquet Portugalliam. In nostro enim regno Lusitaniæ redditus Cruciatæ ad summam attingunt octoginta millium ducatorum. Quòd si hi redditus in Castella huius Bullę, ęquarent redditus Lusitaniæ, cum Castella sexies, aut septies amplior sit tota Lusitania, ad quantam summam inibi peruenirent?

31\. Contra secundam rationem, qua meam opinionem confirmaui, insurgunt arguentes, abstinentiam ouorum, & lacticiniorum esse de essentia ieiunii in Quadragesima, non in communi, nec extra illam. Sed hoc iam satis refutatum, & explanatum est *n.*27. Et vnde mihi probabunt Domini aduersarii, harum rerum abstinentiam esse, spectato Iure, & seclusa consuetudine, de essentia ieiunii Quadragesimæ, cùm hoc de Iure non constet? Profectò debent recurrere ad consuetudinem. At opus est iisdem vestigiis insistere, & semper disputationis puncto inhærere.

32\. Addo insuper, illos non loqui consequenter, nec congruenter: quia is, qui virtute Bullæ Cruciatæ dispensatus est in esu ouorum in Quadragesima, non est dispensatus in ieiunio, tenetúrque ieiunare iuxta meliorem opinionem. Vnde clarè infertur, abstinentiam hanc ouorum, & lacticiniorum non esse de essentia ieiunii Quadragesimæ, alioqui cogentur sequi peiorem opinionem, cum videant, aliam esse meliorem: & sic aptari illis poterit Horatianum illud:

Video meliora, proboque:
Deteriora sequor.

33\. His duabus rationibus, vt dixi, quas hactenus sustentaui, meam opinionem confirmaui. Nunc pluribus illam confirmo. Primò, quia Lex, vt obliget sub peccato mortali, opus est, & vt sit clara, manifesta, & vt clarè, & distinctè loquatur, iuxta caput, *Erit autem Lex. dist.* 4. *Manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat, nullo priuato commodo, sed pro communi ciuium vtilitate conscripta.* Nullibi autem in Iure expresè inuenitur Lex, quæ obliget sub peccato mortali ad abstinentiam ouorum, & lacticiniorum in Quadragesima. Ergò non datur talis Lex prohibitiua harum rerum sub ea culpa: ac proinde non est mortiferum peccatum, hæc edere, de Iure loquendo. Minor, in qua est difficultas, probatur: quia, si aliqua Lex, aut Ius daretur, esset illud, quod continetur *in capite. Denique, distinct.* 4. in illis verbis: *Par autem est, vt quibus diebus à carnibus animalium abstinemus; ab omnibus quoque, quæ sementinam carnis originem trahunt, ieiunemus, à lacte, videlicet, caseo, & ouis.* Ibi autem nulla sunt verba, clarè, & manifestè præceptiua,

priua, & inductiua peccati mortalis. Ergo intentum. Nam verbum, *par*, vt explicat Glossa, ponitur pro æquo, & iusto, ac conuenienti, & sic congruentiam indicat, non graue præceptum. Et cum Glossa idem sentit Dominicus, ibi; *Dictio illa*, par, *non stat similitudinariè; sed ponitur pro æquo, & iusto.* Quasi diceret: Non simili prohibitione, & pœna præcipitur hîc abstinentia ouorum, ac abstinentia carnium in Quadragesima. Et quamuis nonnulli velint, subintelligendam esse particulam, *sic*: ita vt sensus sit: *Sic quoque ab omnibus, quæ sementinam à carnibus trahunt originem, ieiunemus.* id quidem diuinare est, & verba textui addere, illumque torquere, vt ad suum sensum extorqueant. Et quamuis id illis libenter demus, deest tunc illa particula, *par*, quæ illorum sensum, & obligationem æqualem, quam fingunt, destruit. Manet enim tunc sensus. *Sic quoque par est*, id est, cōgruum, vt in toto rigore sui significatus verbum illud, *par*, indicat. Dicent, pœnam peccati mortalis contineri in materia, quæ est de se grauis, & sufficiens, vt mortalem noxam, ac pœnam inducat: quia oua, & lacticinia originem trahunt à carnibus. Sed hoc iam refutatum est: sunt enim oua dependentiæ carnium; & dependentiæ non puniuntur in Iure eadem pœna, qua crimen principale. *L. Lenia. ff. de accusat. L. Respiciendum. ff. de pœn.* quod iam demonstratum est.

Secunda, quia pœnæ peccati mortalis non sunt trahendæ, & extendendæ ad minores casus, ac dissimiles; nec etiam peccata sunt multiplicanda: hîc enim militant regulæ communes: *Pœnæ sunt restringendæ, fauores ampliandi.* Minor autem res est, oua edere, quàm carnes. Ergo minori pęna, quam peccati mortalis debet hoc puniri. Ergo sola pęna peccati venialis.

Tertia, quia in Lusitania omnes, Dei gratia, fideles sunt, & optimi fideles: & tamen non cogitant, se peccare mortaliter, attento Iure communi, oua, & lacticinia in Quadragesima comedendo, nec se hac de re accusant: nec Doctores, nec Vniuersitates explicant, id esse peccatum mortale, sed tantum veniale, attento eodem Iure. Hæc sufficiant.

§. IV.

HABET HAEC OPINIO PRO SE VSVM, *& praxim regni Lusitaniæ.*

34. PRaxis, & vsus Lusitaniæ est, harum rerum abstinentiam non obligare sub mortali, sed sub veniali. Si verò vsus, & praxis (vt volunt Domini Doctores aduersarii) est optimus Legis interpres, benè ex hac praxi probatur, non contineri *in hoc capite, Denique, dist. 4.* hanc rigorosam obligationem culpæ lethalis. Quòd si praxis aliud in aliis prouinciis interpretatur, & tenet, id tenendum erit in illis.

35. Quòd autem hæc sit praxis huius regni, probatur: quia magnam ego feci diligentiam, magnam curam adhibui, vt id scirem ex Parochis huius regni, maritimorum etiam locorum: & ita mihi suis testimoniis affirmarunt. Constat ex testimonio authentico Reuerendi Domini Sebastiani Barbosæ de Moraes, & Archipresbyteri Viannensis, & Abbatis D. Ioannis de Sà. Quod testimonium ex Lusitania Madritum misi, ad Patrem Antonium Collassum, nostræ Societatis, vt illud, si opus esset, Dominis ostenderet aduersariis.

Constat etiam ex testimonio Reuerendissimi, & Illustrissimi Domini, D. Lupi de Sequeira, Episcopi Portalegrensis in subscriptionibus infrà apponendis, in quo id expressè asserit, ac testatur in approbatione huius opinionis. 36.

Ad rem etiam conducit testimonium Reuerendi admodum, Domini Francisci de Arcuedo, viri doctissimi, Archiepiscopatus Bracharensium Prouisoris, quo nemo melius id scire poterat, propter amplissimam magnitudinem huius diœceseos, in qua iurisdictionem hic Dominus exercet: habet enim hic Archiepiscopatus, lustrales sacri Baptismatis fontes, hodie propè mille: qui à me interrogatus, quid de hac opinione sentiret, respondit, se de Iure nihil in ea re ausum esse dicere, inter personas tam doctas, & religione & literis præcellentes: de factò tamen, & praxi, se scire, in multis partibus huius regni vsum habere, id non esse peccatum lethale. Et addidit, ita declarasse in Episcopatu etiam Lamecensi, vbi ipse Prouisoris munere per id temporis fungebatur, Illustrissimum D. Antonium Tellium de Meneses, Episcopum Lamecensium. Olysippone verò abrogata est iam quædam Extrauagans, in qua venditio ouorum, & lacticiniorum in Quadragesima vetabatur, venduntur enim per plateas, præmisso præconio, & ad ostia passim venalia exponuntur, nemine prohibente. Et id certum est etiam in Archiepiscopatu Eborensi, & in toto tractu Transtagano, & transmontano, & Brigantino. 37.

§. V.

INFERTVR CONCLVSIO EX HACTEnus dictis, *& refutatur temeritatis censura.*

EX dictis infertur, habere hanc opinionem pro se Authores antiquos, & nouiores; habere vtramque Academiam huius regni, Conimbricensem, & Eborensem; habere Illustrissimos Prælatos; habere omnes viros literatos, zelo animarum, & religione præcellentes; habere vsum, & praxim totius regni. Addo etiam (& quod maius est) habere consuetudinem nonnullorum Episcopatuum Castellæ, veluti Episcopatus Placentiæ, & Ouetii: ex literis enim grauissimorum hominum, inde ad nos missis, accepimus, singulis annis, post publicationem Cruciatæ, statim è pulpitis per Sacerdotes populo in Episcopatu Placentino declarari, illorum neminem Cruciata indigere, vt licitè oua, & lacticinia in Quadragesima vescatur: cum praxis illic habeat, ea non esse tunc temporis prohibita. Quod prouidè, & prudenter fit, ne populus per ignorantiam erret. Non est ergo hæc opinio temeraria ex eo, quòd authoritate careat, & sit contra communem sensum, & consensum Doctorum. 38.

Et verò animaduertendum hîc est, sententiam hanc Lusitanorum, etsi non habeat tot Authores ex antiquis, quot habet contraria, idcircoque illa præ ista communior censeatur; veriorem tamen istam nostram præ illa apparere ex hactenus adductis. Nec in contrarium mouet authoritas antiquorum, qui illam tenuerunt: nam, cum res magis ex Iuris veritate, quàm ex multorum opinione perpendenda sit; vt optimè aliàs docuit Iustinianus *in l. 1. versu, Sed neque. 6. de veter. iure enucleando.* ad quod multa adducuntur primo tomo communium opinionum, *lib. 2. titulo 8. n. 6.* meritò huic 39.

huic nostræ sententiæ adhærendum est, quæ nititur solidissimis fundamentis, & authoritate nouiorum Doctorum, qui hac de re, & puncto interrogati, id pressius, & accuratius, vt iam diximus, indagarunt: neq; enim alia opinio, eò quòd communior sit, ideò probabilior censenda est, vt notant communiter Doctores.

§. VI.

PROBATVR, NON ESSE HANC OPINIONEM *Lusitanorum, scandalosam, nec pias aures offendere, vt asserunt Doctores contrarij.*

40. VT aliqua doctrina, aut propositio sit scandalosa, necessum est, vt talis propositio occasionem ruinæ alijs præbeat. *a* Insurget tamen Dominus Fiscalis Cruciatæ in Castella, & hanc doctrinam explodendam esse omninò contender, insistetque, vt hæc opinio de meo libro deleatur, & in aliorum exemplum, tam prauam doctrinam disseminantium, illius Author puniatur; addetque, cum oua, & lacticinia præcepto Ecclesiæ sub culpa lethali in Quadragesima prohibeantur, si modò sciant aliqui, non ita prohiberi, dubitabunt Regiæ Maiestatis vassalli, an cætera etiam præcepta Ecclesiæ sub mortali ligent: & sic, nec Missam audient, nec soluent decimas, nec Sacramenta suscipient, in maximum damnum Reipublicæ Christianæ, & suarum conscienriarum nocumentum.

a *Suares de fide, disp.* 19. *sect.* 2. *n.* 15.

41. Sed, antequàm efficacissimis rationibus, his clamoribus respondeam, dicam ego Domino Fiscali: Si ita res habet, & ex hac doctrina tot, rantaque scandala, & occasiones peruersæ doctrinæ vassallis Maiestatis Catholicæ oriuntur; postula, Domine, à Regia Maiestate, vt iubeat puniri Sacerdotes, qui in Castella, in Episcopatu Placentiæ, post publicationem Cruciatæ statim surgunt, & ex pulpitis, & ex locis editis, docent populum, nullam esse culpam, nec mortalem, nec venialem, in ijs diœcesibus oua edere in Quadragesima, nec inde ieiunium violari: nam ex hoc etiam fonte promanabunt eadem, & multò maiora, & grauiora scandala in vassallos Regiæ Maiestatis.

42. Volo tamen hanc nebulam diluere, ac dissipare: mihi enim videtur Dominus Fiscalis trepidare, vbi nihil trepidandum est. Statuo igitur primò, aliud esse in hac re, loqui de Iure; aliud de consuetudine. De Iure iam probauimus, solam esse culpam venialem, oua edere, & lacticinia in ieiunijs Quadragesimæ. De consuetudine dixi in meo tomo, *dicto libro* 1. *quarti præcepti, cap* 2 *num.* 14. certum esse, mortiferum peccatum esse, non abstinere ab ouis, & lacticinijs in tempore Quadragesimæ, in ijs prouincijs, in quibus consuetudo obtinuit, hæc edere, esse peccatum mortale, ibi: *In ijs locis, in quibus consuetudo est, hæc non edere, talis consuetudo obligat ad mortale: certum est enim, mortale peccatum esse, non abstinere ab ouis, & lacticinijs, quando ea per consuetudinem sunt prohibita.* Verè equidem hæc plana sunt, & intelligibilia, vbi loquor absolutè: vbi assero, non esse in Castella peccatum mortale, hæc edere, absolutè loquendo, comprehendendoque, tam Ius, quam consuetudinem. Planè nullibi, nec locum talem ostendent in meo tomo, imò contrarium statuit. Si enim statuo, id peccatum lethale esse, vbi consuetudo est tempore Quadragesimæ hæc non edere, cum in Castella detur talis consuetudo, (paucis Episcopatibus exceptis, vno, scilicet, & altero, Placentiæ, & Ouietii,) consequenter dico in Castella hæc edere esse peccatum mortiferum. Nonne hæc benè percipiuntur? Quid ergo timent, vbi non est timendum? Quid metuunt, vbi nihil est timendum? Planè, planè illorum rimor nullum habet fundamentum: nam, Dei gratia, omnes in Castella, in Episcopatibus Placentiæ, & Ouietij, à multis sæculis Christiani sunt, quibus locis docetur populus, licitè hæc posse edi absque fractione ieiunij: & tamen nunquam accepimus in Lusitania, in ijs locis scandalum aliquod fuisse ortum, aut occasionem fuisse acceptam, vt exinde aliqui dubitarent de obligatione præceptorum sanctæ Matris Ecclesiæ.

43. In Lusitania verò, vbi omnes docti tenent, harum rerum vsum ex vi Iuris communis non ligare sub mortali, sed sub veniali tantum, vt probatum manet; certissimum est, nunquam exortum fuisse paruulis scandalum, aut id occasionem illis ruinæ extitisse, vt dubitarent de præceptis Ecclesiæ. At dicent, id ex eo prouenisse, quia hactenus Prælati, & Pastores fuerunt vigilantissimi in Lusitania. Quare ergo venturi Prælati non ita erunt vigilantes? Certè hoc ariolari est, & grauissimi sceleris venturos Episcopos coarguere, ac insimulare.

44. Neque verò introductio hæresum ex dubitatione de præceptis Ecclesiæ, & de vi coactiua illius, sed ex alio fonte prouenit: nempe, ex libertate vitæ vitiis dissolutæ, ex luxuria, ex libidine, ex ambitione, ex inhonesta cupiditate, per fas, & nefas, pecuniarum aceruos cogendi, iuxta D. Paulum *ad Colossenses* 3. *num.* 5. Et vbi hæc vitia subodorantur, opus est, vt alijs medijs conuenientioribus supprimantur: hoc enim remedium prohibitionis huius doctrinæ, caret ordine ad talem finem.

45. Dico deinde, doctrinam mei libri non fuisse à me scriptam paruulis, & ignorantibus; sed doctis, & sapientissimis hominibus, qui sciunt omnia perpendere, & pensitare. Et verò quòd nec paruulis, nec sapientibus perniciosa sit, inde probatur: quia, aut datur in aliquo regno, aut prouincia consuetudo hæc edendi, aut non datur. Si datur, iam consuetudo id licitum fecit, & nullum erit peccatum ea comedere, vt fit in Placentiæ, & Ouietij Episcopatibus. Si non datur, imò datur contraria consuetudo hæc non edendi, vt cernimus in alijs prouincijs Castellæ; iam consuetudo illicitum sub mortali fecit, & mortale erit, & violabitur ieiunij præceptum in ijs prouincijs, & alijs Orbis partibus, vbi similis consuetudo fuerit hæc non edendi, si hæc in Quadragesima edantur. In terris verò, quæ de nouo conuertuntur, quid, quæso, inconuenientis est, id, quod docet Ius, illarum incolas edocere?

46. Addo tandem, ad hæc omnia respondisse sapientissimum Doctorem, ac Magistrum Emmanuelem à Valle de Moura, virum doctissimum, Doctorem Theologum, sanctæ Inquisitionis Senatorem, ac Consultorem ordinarium, Magistrum excellentissimorum Dominorum Brigantinorum: is ille est, qui multa contra hæresim inscripsit, & librum Ensalmorum edidit vtilissimum: à quo alia Opera parantur, quæ citissimè, vt speramus, in beneficium commune edentur

dentur in lucem: ita enim hic Vir hac de re consultus respondit:

47. M*ibi euidens est, probabilem esse opinionem, qua docet, loquendo de Iure communi, esse solum veniale, oua edere, & lacticinia in Quadragesima; non de consuetudine huius, aut illius prouinciæ. Secundò mihi euidens, & pro comperto est, supposita hac probabilitate, licitum esse hæc edere, docere, & prædicare, siue in compositione, siue in qualibet alia publica actione, in qua datur occasio loquendi, & docendi populum hac de re: quia nullum datur præceptum positiuum, quod hoc prohibeat: nec talis doctrina scandalum parit, qua audita proximis paretur ruina: nec præiudicium aliquod considerationis affert emolumentis Cruciatæ, comparatione veritatis, quam continet; præsertim in terris, in quibus consuetudo introductum habet peccatum mortale, in hoc negotio: quia in his terris sufficit hæc consuetudo, vt ad hunc finem detur necessitas, aut vtilitas suscipiendi Bullam: in terris verò, in quibus statur solo Iuri communi; ad timoratos viros, qui volunt de sua conscientia securiùs agere, & se ab scrupulis liberare, sufficit, quòd contraria opinio, quæ docet, id esse peccatum mortale, sit fortasse probabilior: ad illos verò, qui parum curant de conscientia sua, (dolor est!) quòd tam parum præiudicium afferatur Cruciatæ, vel cuilibet alteri medio, ac remedio salutis, ex eo quòd hi sciant, in materiis similibus maiorem, vel minorem probabilitatem dari. Denique, si in inquisitione veritatis fidei, aut morum, aut mediorum salutis respiciendum sit, non ad ipsam veritatem, sed ad maiores, vel minores redditus Cruciatæ, indigna res, quæ dicatur, vel de aliquibus Doctoribus publicetur. Et hoc planè fit, cùm libri solùm hoc intuitu prohibentur tempore hoc tot Hæreticorum, & tam carnalium. Eboræ 18. Nouemb. 1627.*

Doctor EMMANVEL DE VALLE DE MOVRA.

Hæc ille.

§. VII.

REFVTATVR OBIECTIO, ET FVNDAmentum *aduersariorum, quo dicunt, hanc doctrinam esse scandalosam, cùm sit contra sextam Synodum.*

48. FVit non nemo in Castella, qui ausus sit dicere, hanc opinionem totius Lusitaniæ esse scandalosam, eò quòd sit expresse contra sextam Synodum Trullanam, in qua prohibebantur oua, & lacticinia sub graui pœna excommunicationis, quæ arguit grauem, & lethalem conscientiæ notam: & ita ait hæc Synodus in quodam Canone:

Visum est nobis, vt omnis Ecclesia, quæ est in vniuerso terrarum Orbe, vnum ordinem sequens, ieiunium perficiat, & abstineat, sicut ab omni mactabili, sic ab ouis, & caseo, quæ sunt fructus eorum, à quibus abstinemus. Qui autem hoc non seruauerint, si sint Clerici, deponantur; si Laici, segregentur.

49. Sed hic qualis ille Doctor sit, dum nos scandali arguit ex eo, quòd nostra doctrina sit contra hanc Synodum, quam ille sanctam, & œcumenicam appellat; videat, ne ipse sit scandalo vniuerso Orbi, & iis præcipuè, qui norunt, hanc Synodum esse hæreticam, deprauatam, & Pseudosynodum, quoad editionem talium Canonum. Et verò, licèt idem Author addat in Glossa, quam Salmanticæ publicè dictauit: *Neque obstat, quòd Canones huius Synodi non sunt probati ab Ecclesia, vt nonnulli existimant: quia, excepto Canone de Clericorum continentia, & de primatu Sedis Constantinopolitanæ, omnes alij recepti fuerunt, & illis semper gubernata est Ecclesia: & prætereà, ille Canon testatur, eam esse vniuersalem Ecclesiæ obseruantiam.*

Steph. Fagundez Apolog.

Ad hoc enim duo respondeo. Primum, hunc 50.
Doctorem egregiè lapsum fuisse, & illius errorem esse intolerabilem; & omninò ab illius Glossula delendum, ne in alios serpat cum damno conscientiarum: quia tota hæc Synodus est hæretica, damnata, & reprobata ab Ecclesia Catholica, & nunquam illius Canones fuerunt admissi, non solum ab Ecclesia Romana, sed nec etiam à tribus Patriarchis Orientalis Ecclesiæ, vt docet doctissimus Baronius *tomo 8. fol. 602. in impressione Vaticana anni* 1599. *& fol.* 604. *& fol.* 611. 612. 613. 614. & id probat ex Beda de sex ætatibus, in Iustiniano Minore; & ex Paulo Diacono *de gestis Longobardorum, libr. 6. cap. 11.* Docet etiam Illustrissimus Cardinalis Bellarminus *lib. 2. de Romano Pontifice, cap. 18. §. Argumentum* 2. & latè *libr. 1. de Conciliis, cap. 7.* Et doctissimè id ostendit Turrianus integro libro horum Canonum, & Coriolanus Chronolog. PP. & Conciliór. anno 619. agens de Papa Sergio; & de Concilio, quod eo anno coactum fuit sub Iustiniano Minore, in quo editi fuerunt huiusmodi Canones nomine sextæ Synodi, quorum solutiones sunt reprobatæ: quia sunt contra dogmata Catholicæ Ecclesiæ; vt latè probat Coriolanus discurrens per singulos illorum. Nam, quamuis hæc sexta Synodus coacta primò fuerit sub Imperatore Iustiniano IV. & Agathone Papa contra Hæreticos Monothelitas, & fuerit posteà approbata à Leone II. vt refertur *tomo 3. Conciliorum, folio 234. in impressione Vaticana anni* 1585. ibique appelletur sancta, & œcumenica; id quidem verum est, quoad veritatem de duabus Christi voluntatibus, diuina, & humana, quæ in hac Synodo sub Constantino IV. & Agathone Papa decreta fuit; non verò quoad editionem omnium Canonum Trullanorum, qui ipsi Synodo posteà à nonnullis Episcopis hæreticis additi fuerunt sub Imperatore Iustiniano Minore, in alia Synodo, quæ illius opera in sua Trullana aula congregata fuit, reclamante Papa Sergio, ad atterendam authoritatem prædictæ sextæ Synodi; in qua multi Canones erroribus scatentes conditi fuerunt; & à Trullana aula, Trullani dicuntur, quos nomine sextæ Synodi ad conciliandam illis authoritatem diuulgarunt, & quos nunquam voluit Sergius approbare. Videatur, præter Authores allegatos, Seuerinus Binius in admonitione ad Lectorem circa Canones Trullanos, folio 224. & 228. & Thomas Treterus, Canonicus sanctæ Mariæ trans Tyberim, in Epitome vitæ Imperatorum, in vita Constantini IV. & Iustiniani Minoris.

Vnde miror certè, ausum fuisse huiusmodi 51.
Magistrum in sua Glossa, quam publicè dictauit, asserere, omnes Canones huiusmodi Trullanæ Synodi, quæ nomine sextæ Synodi fuit ab Hæreticis euulgata, admissos fuisse ab Ecclesia Romana, & illis semper gubernatam fuisse, excepto Canone de continentia Clericorum, & de primatu Ecclesiæ Constantinopolitanæ: constat enim, Canones illos plurimis erroribus scatere, vt legenti patebit.

* * *

§. VIII.

OSTENDO, HANC OPINIONEM NON ESSE *malè sonantem; nec contra communem sensum fidelium; nec parum coherentem; a. pro nde hac censura omnino indignam.*

52. PRobauimus capite præcedenti, liberam esse hanc opinionem censura scandalosæ sententiæ; ex quo etiam euidenter sequitur, non esse malè sonantem. Id enim male sonat, quod audientibus parit scandalum: quod enim malè sonat, piarum aurium offensiuum est, vt notat Suar. de fide, dist. 19. sect. 2. num 19. Non est igitur hæc opinio malè sonans, cùm non offendat pias aures, si sint verè piæ, prudentes, & doctrina sufficiente instructæ, quas tantùm respicit bonarum opinionum consonantia; non maleuolas, non aduersas, non captiosas, vt tradi solet 2. 2. q. 11. art. 2 apud D. Thomam. Vide Lorcam ibi, dist. 40. n. 16.

53. Non est etiam contra communem sensum fi-
54. delium totius Orbis: si enim fideles in Castella putant, se mortifere peccare, hæc in Quadragesima edendo, & omnes hac de causa, tanquam de mortali, se in confessionibus accusant; id prouenit ex consuetudine: quia consuetudo ibi talem vsum sub mortali fecit illicitum. At non sic in aliis Orbis partibus, nec in Episcopatibus Placentiæ, nec Ouietij, in eadem Castella, nec in tota fere Lusitania, vbi consuetudo harum rerum esum licitum fecit. Quid ergo clamant Doctores aduersatij? Qua ratione ducti asserunt, Christianos totius Orbis credere, hoc esse peccatum mortale, de Iure loquendo, cum ita non sit? Certe, qui hoc faciunt, aut putant, eas prouincias Castellæ, in quibus id creditur, esse totum Orbem, aut totum Orbem esse in Castella, in iisdem prouinciis illius, in quibus id creditur: cum tamen capacior sit Orbis, & plures, ac diuersas contineat nationes.

55. Nec hæc opinio est male cohærens, vt aduersarij asserunt Doctores. Et id ex eo fundamento probant, quod Gratianus in dicto cap. *Denique.* dist. 4. verbo, *Par*, asserat, in eo capite contineri consilium, non præceptum. Nam Gratianus ita ait: *Nisi quis dicat, hæc hortando, & consulendo dicta.* Glossa verò ai : *Aequum, & iustum est*. Quæ omnia consilium arguunt, non præceptum. Vbi autem consilium est, nullum peccatum est, iuxta illud D. Pauli 1. ad Corinth *De virginibus præceptum Domini non habeo: consilium autem do*. Malè ergo cohærens est, inquit, hæc Lusitanorum opinio, dum ait, contineri ibi consilium, & peccatum veniale: cum potius asserendum illis esset, vt consequenter loquerentur, nullum esse peccatum hæc edere.

56. Cui obiectioni facilè respondeo, negari non posse, oua, & lacticinia originem trahere à carnibus, & ab illis dependere, & tanquam dependentia, eodem præcepto prohiberi; non tamen eadem pœna peccati mortalis prohiberi, nec eodẽ modo: neque enim in Iure eadem pœna dependentiæ puniuntur, qua punitur principale crimen, hoc est, esus carnium, punitur in Iure pœna peccati mortalis; dependentiæ, hoc est, esus ouorum, minori pœna, hoc est, pœna venialis culpæ puniri debebant. Et hoc iam vsque ad nauseam probatum est.

57. Quando verò Gratianus, & Doctores asserunt, esse consilium & exhortationem; intelligunt, tale consilium, & exhortationem cadere super materiam sub veniali culpa prohibitam, ne, scilicet, contemnatur, sicut seu si stat enim aliquid sup. omni prohibitum, & consilium dari ad seruandam talem prohibitionem. Hic enim dantur duæ res. Vna est exhortatio: alia prohibitio. Prohibitio respicit materiam prohibitam; & ideò ex vi exhortationis, nullum datur peccatum, nec veniale quidem, si talis exhortatio non seruetur. Ex vi autem materiæ prohibitæ, per præceptum datur peccatum veniale. Nec asserant Domini Doctores aduersarij, etiam consilium cadere super prohibitionem respicientem, aut supponentem materiam grauem peccati mortalis: nam hoc est petere principium, cum iam satis, superque probatum sit, non dari hic peccatum aliquod lethale.

58. Nec etiam obiiciant Domini Doctores aduersarij, quamuis peccatum veniale, tanquam malum & illicitum, velis, remisque fugiendum sit, tamen, cum venialia parui ab hominibus pendantur, si non statuamus, hoc esse mortiferum peccatum, posse inde non exiguum nocumentum redditibus Cruciatæ euenire. Respondemus enim primò, nos hîc inquirere veritatem, & non agere de emolumentis Cruciatæ: in inquisitione autem veritatis, ad nihil aliud attendendum est, quam ad ipsam veritatem: nam, si forte attendendum esset, non ad illam, sed ad maiores redditus Cruciatæ, indigna profectò res erit, quæ sciatur, esse in Hispania, aut Lusitania, Theologos, qui asserant, magis attendendum esse viris doctis ad pecuniarum coactionem, quàm ad scopum veritatis: vt optimè notauit sapientissimus Doctor, Emmanuel de Valle de Moura, Consiliarius, ac Consultor sanctæ Inquisitionis in Lusitania, quem citauimus in §. 6 huius Tractatus, n. 47.

59. Respondemus secundò, à nobis iam satis esse demonstratum, nullum impedimentum afferre hanc opinionem Cruciatæ, vt patet ex § [illegible] n. 30. Addo etiam, indignissimum esse, quòd sciatur, esse aliquos Theologos in Orbe, qui ausi sint aggrauare peccata, & de venialibus, mortalia facere, vt ea causa maiores pecuniæ ex populo Christiano colligantur.

60. Respondemus tertiò, Bullam sanctæ Cruciatæ habere plurima alia priuilegia, ex quibus redditus illius ad pia opera colligantur: habet enim incertorum debitorum compositiones: habet votorum dispensationes, & commutationes: habet plurimas Indulgentias, ob quas necessario à fidelibus est sumenda. Insuper autem addimus, quod iam suprà probatum est, nullum ex hoc capite inferri emolumentis sanctæ Cruciatæ præiudicium.

61. Oro denique, vt fiat aliquod experimentum in Castella, in Episcopatibus Placentiæ, & Ouietij, circa redditus Cruciatæ; & reperietur, ibi, vbi ex consuetudine nullum est peccatum oua edere, non inde minui redditus sanctæ Cruciatæ, facta comparatione harum diœcesum, cum aliis eiusdem magnitudinis. Ergo non est hoc impedimentum redditibus Cruciatæ.

62. Et his quidem rationibus satisfecimus omnibus imputationibus, & iaculis, quibus nostra doctrina fuit impetita à Dominis Doctoribus aduersariis, & diluimus, ac deleuimus omnes notas scandali, temeritatis, malæ sonantiæ, & coherentiæ, quæ nationi, & opinioni Lusitanorum ab illis inustæ sunt.

Solum

63. Solum mihi superest, vni rei respondere; scilicet, me in meo libro dixisse, tollendos esse omnes scrupulos illis, qui cogitant, se in harum rerum esu mortaliter peccare. Videtur enim hæc tam absoluta locutio comprehendere vtramque obligationem, Iuris, & consuetudinis. Respondeo, hoc intelligendum esse respectu earum partium, in quibus consuetudo obtinuit, hæc edere; & respectu prouinciarum in quibus seruatur Ius commune. Si enim in his partibus addubitetur, aut cogitent aliqui, se in harum rerum vsu peccare mortaliter, ne per erroneam conscientiam perniciose labantur, salubre consilium erit, illis tollere hos scrupulos, vt optime fit in Castella, in Episcopatibus Placentiæ, & Ouietij. Sic, si in Castella aliquis putaret, illicitum esse, Sabbathis vesci carnibus nomine minutorum, consilium optimum erit, illos veritatem edocere, & eis hunc scrupulum auferre.

§. IX.

DEFENDITVR TRACTATVS PRO HAC *doctrina oblatus à Patre Antonio Colasso, Societatis* IESV.

OBtulit Pater Antonius Colassus Tractatum pro defensione doctrinæ Lusitanorum, in illoque numero 11. multos citauit Authores vtriusque Scholæ, Conimbricensis, & Eborensis, qui omnes asserunt, esse hanc Lusitanorum opinionem valde probabilem; & plerique veriorem, & probabiliorem oppositâ Doctorum aduersariorum.

Ad inscriptiones, & testimonium vtriusque Academiæ, Eborensis, & Conimbricensis, respondent Domini Doctores aduersarij, hoc sufficere, vt hanc meam, & illorum opinionem ab omni censura liberet, si illorum subscriptiones agnoscerent, & si illis proposita fuisset quæstio, vt repetitur impressa in meo libro.

64. Ad quod respondeo, subscriptiones illorum, & Illustrissimorum Prælatorum, qui postea accesserunt, esse verissimas. Et, vt integram fidem faciant, curauimus modo, vt in forma publica per Notarios, & vtriusque Academiæ Secretarios apparerent; & vt hæc nostra Informatio in Castella typis mandaretur, vt his Dominis Doctoribus scrupulum euelleremus. Et certè mihi omnes in faciem despumarent, & sanctæ Inquisitioni me deferrent, si in illorum conspectu illos falso allegarem, & illorum subscriptiones fingerem, ac falsarij pœnam incurrerem.

65. Respondeo etiam, quæstionem illis fuisse propositam eodem modo, quo impressa est in meo libro. Quod si hic de re dubitant, placet mihi auferre de meo libro hanc opinionem eo modo, quo illic inscripta reperitur, dummodo liberum sit mihi, illius loco inserere hanc opinionem, insignium Doctorum, & Illustrissimorum Prælatorum testimonijs subscriptam, eo prorsus modo, quo illis proposita à nobis fuit, & ab illis subscripta.

66. Neque quæstio alia erat, nisi de puncto Iuris: nam de consuetudine clare loquor, vt patet *ex* §. 1. *huius Informationis*. Sed veniamus ad rem.

67. Citauit Pater Antonius Collassus, nostræ Societatis, pro mea opinione, in suo Tractatu, *num.* 10. Allagonam *in capite*, *Denique. dist.* 4. *num.* 5. Dominicum ibi; Panormitanum *de obseruatione ieiuniorum, capite, Ex parte. num.* 10. Præpositum *cap. Denique. dist.* 4 *in compendio illius*; Medinam *C. de ieiunio*, *tract.* 4. *cap. de necessitate seruandi ieiunium, versu*, *Vt igitur sequens doctrinam.* Imponitur huic Patri, illum falso omnes hos Authores allegasse: quia omnes tenent contrarium.

Vindico ab hac imputatione huiuscemodi Patrem. Ab Allagona ordiamur. Petrus Allagona *in Epitome prædicti capitis*, *Denique. dist.* 4. tangens omnes quæstiones, quas Augustinus, Anglorum Episcopus, proposuit Diuo Gregorio Papæ, inter quas præcipua erat hæc de ouorum, & lacticiniorum esu, ita ait: (Nota:) *Hac, aut sunt de consilio, vel antiquata.* Et nihil amplius dicit. Vbi ergo ait hic Author, harum rerum esum esse peccatum mortale? Ille enim his verbis id non ait: alia non inueniuntur apud illum. Nec respondeant, ex hoc Authore colligi, nec etiam id esse peccatum veniale, cum dicat, id esse consilium. Nam retorquebo primò: Male ergo asserunt, dum dicunt, hunc Authorem consentire cum illis; & contrarium illius, quod dicunt Doctores Lusitani, tenere, cum ipse non dicat, id esse peccatum mortale, imo ex illorum sententia dicat, nec esse veniale. Retorquebo secundò, iam satis ostensum esse §. *præcedenti*, *n.* 66. posse stare consilium cum obligatione peccati venialis. 68.

Secundo loco citauit Dominicum. Arguitur etiam Collassus de falsitate huius allegationis: Dominicus enim ait, a tento Iure ex vi capitis, *Denique. dist.* 4. id esse peccatum lethale. At non bene arguitur à sapientissimis Doctoribus contra Collassum: verba enim Dominici hæc sunt: *Glossa, verbo*, Par, *opponit*, *quod non est æqualis abstinentia à carnibus, & caseo, vel ouis; imò est magna differentia, vt dist.* 82. *cap.* Presbyter. *Glossa soluit fatendo contrariũ, & exponit textum, quod dictio*, Par, *non stat similitudinariè; sed ponitur pro æquo, & iusto.* Hæc sunt verba Dominici loco citato à Collasso. Et in primis inquiro ab his Dominis, vbi inuenitur in his verbis Dominici, ouorum esum esse peccatum mortale? Dicent in illis verbis: *Glossa soluit fatendo contrarium.* quia illi, quos Glossa impugnat, dicebant, abstinentiam ouorum differre ab abstinentia carnium. Et Glossa fatetur contrarium. Ergo fatetur, esse eandem abstinentiam: & consequenter idem peccatum. 69.

Sed adhuc inquiro: Et quomodo fatetur Glossa contrarium? Respondet Dominicus: *Fatendo contrarium, & exponendo textum, quod dictio*, Par, *non stat similitudinariè; sed ponitur pro æquo, & iusto.* Si ergo est æquum, & iustum, non datur eadem similitudo abstinentiæ; ac proinde, nec idem peccatum mortale; sed aliud multo minus, hoc est, veniale. 70.

Dicent, colligi, hoc esse peccatum mortiferum ex his verbis, quæ Dominicus statim addit, & continuat: *Et ex hoc notat, quod vbi dictio*, Par, *refertur ad duo supposita diuersæ naturæ, non stat similitudinariè: secus si essent duo similis naturæ; quia tunc stat similitudinariè.* Nam, cũ oua, & lacticinia sint eiusdẽ naturæ cum carnibus, & ab illis trahant originem: ita etiam cadunt sub eadem prohibitione, & eadem pœna prohibentur. Et addent, hoc voluisse dicere Dominicum, & hanc esse illius opinionem: quia *in numero* 6. quærens, an soluatur ieiunium, si edantur oua, & lacticinia, tempore, quo Ecclesia indicit ieiunium extra Quadragesimam, ita respondet: *Archidiaconus recitat, quod Innocentius de obseruatione ieiunij tenet, quod non per istum textum. Concludetu, & est de mente Domini mei, quod si consuetudo* 71.

nihil disponit, non licet hoc. Hæc ille, & ita concludit. Quare ad vltimum resoluit, hoc non esse licitum: quod potest intelligi, non licere: quia est peccatum veniale. Voluit ergo tantum Dominicus, oua, & lacticinia esse similia carnibus in prohibitione: quia eodem præcepto, quo prohibentur carnes, prohibentur oua; non tamen eodem modo, nec eadem pœna peccati mortalis, sed alia pœna minori peccati venialis, vt dictum manet.

72. Et colligitur hoc illum voluisse: quia inquirens, an soluatur ieiunium, si edantur oua tempore, quo Ecclesia illud indicit extra Quadragesimam, respondit, dixisse Archidiaconum, Innocentium dicere, quod non: illum vero dicere, sibi videri non esse licitum ea edere extra Quadragesimam, nisi consuetudo illorum esum licitum fecerit, ibi: *Conclude tu, & est de mente Domini mei*, (hoc est, Innocentij,) *quod si consuetudo nihil disponit, non licet hoc*. Et optime ait: *Non licet*. Et non ait, sub peccato mortali: quia in illius opinione non erat, nisi solum veniale, ea edere, tam extra Quadragesimam, quam in illa. Quare, re bene pensata, maiori ratione allegauit Collassus Dominicum pro se, quàm illi pro se allegant.

73. Citauit etiam Collassus in suo Tractatu, n. 10. pro se, & pro nostra opinione Præpositum in dicto capite, *Denique*. dist. 4. in compendio prædicti capitis, quod efficit in fine capitis. Et hîc etiam arguunt illum eiusdem falsitatis allegationis. Fundamentum illorum est: quia Præpositus referens opinionem Innocentij, & D. Thomæ, ita ait: *In hac materia dicendum, quod de Iure in Quadragesima non est licitus esus lacticiniorum, & ouorum, vt probat textus*, (intellige, capitis, *Denique*.) *Ita nec in aliis ieiuniis introductis extra Quadragesimam*. Et paulo infra statim addit; *Nihilominus tamen strictius seruandum est ieiunium quadragesimale propter rationes, quas superius retuli*. Et nihil ampliusait, quod ad rem præsentem inseruiat: quia statim redit ad consuetudinem.

74. Et vero interrogo modo Dominos arguentes: Vbi inuenitur in his verbis, quod dicat Præpositus, esse peccatum mortale, edere oua, & lacticinia, in Quadragesima? ille enim solum dicit, illorum abstinentiam stricte obligare, tam in Quadragesima, quam extra illam, & vtrumque esum ouorum, tam Quadragesimæ, quam extra illam, esse illicitum. Dicent verbum illud, *strictius*, indicare peccatum mortale. At id deberent probare: nam inter peccata venialia datur latitudo, & quædam sunt maiora, quædam minora. Illa vero, quæ sunt maiora, sunt strictius fugienda: quia præceptum de illorum euitatione, fortius, hoc est, strictius obligat.

75. Deinde addo, Patrem Collassum in suo Tractatu citasse Præpositum in compendio, quod ipse Præpositus effecit in fine dicti capitis, *Denique*. in quo loco ipse Præpositus temperauit suam sententiam, remittens se ad id, quod dicebat Glossa in dicto capite, quod erat, *Iustum tantum, & aequum esse*, abstinere ab ouis in Quadragesima. Quod indicat, ex leuitate materiæ esse tantum veniale, vt ad nauseam probauimus. Quare ex dictis colligitur, bene, & fideliter allegatum fuisse Præpositum à Patre Antonio Collasso, cum ipse prædictus Præpositus in allegato compendio tandem remittat se ad id, quod Glossa ait.

* * *

§. X.

PROSECVTIO EIVSDEM.

Allegauit Collassus in suo etiam Tractatu Panormitanum, *in capite, Ex parte. de obseruatione Ieiunij. n. 12*. Arguunt hîc, verum esse, dixisse ibi Panormitanum, attendendum esse ad verba præceptorum, & sacrorum Canonum, quibus præcipitur ieiunium, & videndum, an sint præceptiua, & clare, & dilucide inductiua peccati mortalis: & ibi nihil definiuisse Panormitanum in hoc puncto: at in n. 5. vbi tractat hanc materiam circa esum ouorum, expresse asserere, peccatum lethale esse, illa edere in Quadragesima, & illo esu ieiunium frangi: tacuisse tamen Collassum in suo Tractatu hunc locum prædicti num. 5. quia contra illum faciebat. 76.

Ad hanc rem duo respondeo. Primo intentum Collassi in eo loco fuisse, debere præceptum, ad hoc, vt in conscientia liget sub mortali, esse clarum, & distinctum, debereque continere expressa verba, quæ non videbantur *in prædicto capite, Denique. dist. 4*. Vnde prædicti aduersarij hanc obligationem culpæ mortalis deducebant. Et hoc, quod, scilicet, verba Legis debeant esse clara, expresse ait Panormitanus *in prædicto n. 12*. Quare ad intentum Collassi fideliter fuit ab eo in eo numero Panormitanus allegatus. Tacuit autem Collassus doctrinam Panormitani *numero 5.* traditam: quia nihil tunc de eo puncto agebat: solum enim tunc proposuerat sibi hoc punctum probandum: & idcirco ad suum intentum fideliter ab eo fuit allegatus. 77.

Respondeo secundò, nec etiam *dicto numero 5.* quo loco Domini aduersarij Panormitanum pro se allegant, illum clare, & distincte asserere, abstinentiam ouorum, & lacticiniorum in Quadragesima obligare sub culpa lethali: ille enim ibi referens opinionem Innocentij, ita ait: *Innocentius hic dixit, quod extra ieiunium quadragesimale non est frangere ieiunium*: (intellige, per esum ouorum, & lacticiniorum, de quo agebat) *secus in Quadragesima. Et forte hoc vult dicere: quia caput*, Denique. *quod facit mentionem de istis lacticiniis, loquitur de ieiuniis quadragesimalibus: nam in illo ieiunio nullus textus specifice disponit, sed transeunt Doctores. Sed vide nobile dictum Archidiaconi, post Diuum Thomam in cap*. Rogationes. *dist. 3. vbi dicit, quod extra Quadragesimam possumus licite vti lacticiniis, quando hoc habet consuetudo. Et placuit mihi opinio hæc: quia, vt prædixi, dictum caput*, Denique, *solum loquitur in Quadragesima*. 78.

Hæc sunt verba Panormitani *in prædicto numero 5*. in quibus solum refert opinionem Innocentij, & sequitur opinionem Diui Thomæ 2. 2. *quæst. 147. art. 8. ad 3*. & Archidiaconi: qui solum aiunt, esse illicitum in Quadragesima edere oua, & lacticinia; & non declarant, an sit illicitum sub mortali, an sub veniali: quia D. Thomas ibi solum hæc verba ait: *Vnde principalius interdicuntur*, (intellige carnes, de quibus loquitur,) *quam oua & lacticinia*. Et infrà: *Et ideo in quolibet ieiunio interdicitur esus carnium; in quadragesimali autem interdicuntur vniuersaliter etiam oua, & lacticinia*. Interrogo ego modo sapientissimos arguentes: Vbi hîc in his verbis dicit D. Thomas, esse peccatum mortiferum, edere oua in Quadragesima? ille enim tantum hæc verba ait, & nulla amplius addit. Respondent, id dicere D. Thomam, quando 79.

quando dixit, esse carnes principalius prohibitas, quam oua, & lacticinia. Bene quidem. Sed animaduersuri erant, solum dixisse D. Thomam, carnes esse principalius interdictas: in quo significat, oua etiam esse prohibita; quia à carnibus trahunt originem: sed minus principaliter, hoc est, minori pœna, & consequenter pœna peccati venialis, iuxta sensum supra sæpe explicatum. Neque enim in D. Thoma inueniuntur verba, in quibus expresse eo loco dicat, harum rerum esum esse mortiferum.

80. Allegauit denique Pater Collassus pro nostra opinione Medinam *n.* 67. *allegato*, vbi ait Medina, ad intentionem potius Legislatoris, quam ad verba legis attendendum nobis esse, vt sciamus, an leges, & præcepta sub mortali obligent. Deinde, attendendum esse ad materiam legis: deinde, ad verba ipsius legis, an sint præceptiua, necne. Et vero, cum intentio Summi Pontificis non fuerit obligare sub peccato mortali ad abstinentiam ouorum, & lacticiniorum in Quadragesima, vt explicauit Glossa in verbo, *Par*, cum dixit, *Par est, id est, æquum; & iustum est.* & Gratianus ibi, cum referens omnes quæstiones Summo Pontifici ab Augustino, Anglorum Episcopo, propositas, in quibus hæc de ouorum abstinentia continebatur, dixit: *Hæc transgressionis reos non arguunt.* vt explicauimus *cap.* 2. *num.* 12. *& deinceps*: & Palatius super Caietanum, cum ait: *Es illicito, pero no mortal*: cum etiam materia fuerit leuis, iuxta iudicium, ac testimonium omnium Doctorum vtriusque Vniuersitatis, Conimbricensis, & Eborensis: & cum verba Iuris *in prædicto cap. Denique. dist.* 4. non sint clara, & distincta: hinc optimè intulit Pater Collassus in suo Tractatu, iuxta hanc doctrinam Medinæ dicendum necessariò esse; ouorum abstinentiam non obligare ad mortalem culpam in ieiuniis Quadragesimæ: atque adeo Medinam hanc quoque doctrinam Lusitanorum tenuisse. Vnde immeritò Domini arguentes aiunt; Authorem Tractatus falsò Medinam allegasse.

81. Tandem, quia ipse Collassus ait in suo Tractatu, non esse tot numero Doctores, qui dicant, hoc esse mortale, nec tam graues; comparatione eorum, qui asserunt, id esse tantum veniale. Enumerant omnes suos Doctores, & tanquam Antesignanum, ac ducem, enumerant D. Thom. 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 8. *ad* 3. Sed D. Thomas, nec ibi, nec alibi, quod sciam, id dicit expressè: iam enim vidimus, quid ille ibi dicat. Et quamuis multos referant pro se; non æquant numero; nec literis, nec grauitate, nec authoritate, Doctores omnes vtriusque Scholæ, Conimbricensis, & Eborensis, & totius Lusitaniæ, de quibus loquebatur Pater Collassus, quos infra referemus, etsi non omnes: neque enim, ad vitandam molestiam, id duximus necessarium.

82. Hæc sufficiant, ad ostendendam iustitiam huius opinionis Lusitanorum. Si tamen adhuc asserant; non fuisse à me propositam Illustrissimis Prælatis, & sapientissimis Doctoribus, & duabus Vniuersitatibus Lusitaniæ, eodem modo, quo illa impressa cernitur in meo libro, & ab illis fuit subscripta, & approbata: Respondeo, illos penè omnes vidisse illam, priusquam eam approbauerint. Sed ad vitandum huiusmodi dissiduum, vt supra dixi, fœdus ineamus: ego auferam illam, quæ in meo libro inscripta est; & loco illius inseram eam, quæ fuit proposita Illustrissimis Prælatis, & viris doctissimis Lusitaniæ, quæque ab omnibus subscripta fuit. Et sic has contentiones finiemus. Sed nec hoc admittent: quia bene vident, doctrinam duabus Vniuersitatibus propositam, esse ipsissimam, quæ in meo libro continetur, vt fassi sunt Doctores Salmanticenses, qui postea huic nostræ, & Lusitanorum opinioni accesserunt, quos ad finem huius capitis referemus.

Sub. C. Salmant. in Regio Societatis Collegio, die 4. Ianuar. anni 1630.

STEPHANVS FAGVNDES.

Sequuntur subscriptiones, & approbationes Illustrissimorum Prælatorum, qui hac de re in Lusitania fuerunt consulti; & Academiarum, Conimbricensis, & Eborensis, & insignium Doctorum Lusitaniæ.

Quæ Pater Stephanus Fagundes, è Societate IESV, *de ieiunio, circa intellectum capitis*, Denique. *dist.* 4. *dixit, in quodam Tractatu, cui titulus est*, Liberat, *&c. qui nobis ostensus fuit in hoc Regio Cœnobio de Thomar, non solum omni censura carent; sed approbanda sentimus, ex eo, quia in dicto cap.* Denique, *magis exhortatio, & conuenientia, quam præceptum continetur; (vt ipse bene notauit) Quapropter consuetudo, quæ optima interpres est; obtinuit vt, quemadmodum mandatum ieiunij non obligat sub mortali Clericos, à die Quadragesimæ, de quo agit dictum caput;* Denique: *sic nec prohibitio ouorum; & lacticiniorum. Ideo multis in locis huius Regni Lusitaniæ; vsum ouorum, & lacticiniorum licitum fecit consuetudo: Quare, licet opinio contraria communior sit: istam tamen probabilem; & Iuri consonam iudicamus: quia in dicto cap.* Denique: *vbi hæc abstinentia præcipitur in Quadragesima, nulla fit mentio, vt diximus, de præcepto ieiunij, nec ratione ieiunij id præcipitur: sed tantum dicitur:* Par est, vt qui à carnibus abstinemus, ab his, quæ sementinam carnis trahunt originem, ieiunemus. *Et ita in Dominicis Quadragesimæ, ibi, præcipitur quoque huiusmodi abstinentia; cum tamen tunc non ieiunetur; atque pueri; & omnes alij à ieiunij præcepto excusati tenentur tunc à lacticiniis abstinere. Vnde benè sequitur, semota consuetudine; solo Iure canonico inspecto, hanc ouorum, & lacticiniorum abstinentiam non esse de ratione ieiunij. Nabantiæ die* 28. *Iulij, anno* 1629. 83. Iudicium Illustrissimi Episcopi Portalegrensis.

Fr. LVPVS, Episcopus Portalegrensis.

Sententiam sapientissimi, ac religiosissimi Patris, Stephani Fagundes, in hoc Tractatu contentam, approbo, stando in Iure communi: ex consuetudine enim potest esse mortale, oua edere, & lacticinia in Quadragesima, vt ipse notauit: Eboræ primo die Septembris, anno 1629. 84.

D. Fr. EMMANVEL, Episcopus Tellensis.

Opinionem doctissimi Patris, Stephani Fagundes, Societatis IESV, *circa esum ouorum, & lacticiniorum in ieiuniis Quadragesimæ, censeo omnino contraria præferendam, immunem omni censura, attentis illius fundamentis, quæ consideratè legimus. Et miror, esse ali-* 85.

quæ viros doctos, qui eam velint censura aliqua perstringere.

D. APOLLINARIUS AB ALMEIDA, Episcopus Nycææ.

86. Hanc opinionem Illustrissimus, ac sapientissimus Dominus, D. Rodericus à Cunha, Archipræsul Bracharensis, omnino approbauit: licèt peculiari ex causa non subscripserit, vt patet ex quodam epistolio eiusdem Illustrissimi Domini, ad me misso, quod ita habet:

Remitto, ac restituo vestræ Paternitati Tractatum istum, qui mihi visus est satis doctus, & bene concinnatus: & si essem Doctor particularis, vt aliquando fui, illi libenter subscriberem, eo vel maxime, quia Couarruuias, & Vidaldus in 3. parte sui Candelabri, in quæstione de ieiunio, num. 18. negant, textum cap. Denique. *dist. 4. esse Diui Gregorij. Attamen dignitas, quam hodie repræsento, mihi impedimento est, subscribendi sententiis similibus, quamuis sint tam bene ordinatæ, ac ista vestræ Paternitatis est.*

RODERICUS, Archiepiscopus Primas.

87. *Superioribus annis de hac opinione interrogatus, respondi, nihil me inuenisse in Iure canonico, in quo asserere cogerer, abstinendum esse sub mortali, in ieiunio Quadragesimæ, ab ouis, & lacticiniis: & quod, licet plures id colligant ex cap.* Denique. *dist. 4. ex illis verbis,* Par autem est, *&c. sufficienter explicari cum Glossa à sapientissimo Authore, in fauorem suæ sententiæ, pro qua non desunt rationes, quas ipse optime, & copiose expendit. Et ideo hanc eius opinionem probabilem iudicaui: cui postea accessere magni nominis, & authoritatis viri, vtriusque Scholæ, Eborensis, & Conimbricensis. Quapropter nunc in eadem sententia persisto, & illi firmius adhæreo, & immunem omni censura iudico: quia, re magis considerata, ab omnibus fere in hoc Regno approbari video. Conimbricæ 16. Iulij, 1629.*

Sub. C. D. D. ANDREAS DE ALMADA, Primarius Magister, & emeritus Professor Theologiæ in Academia Conimbricensi.

88. *IN hoc Regno Lusitaniæ, apud omnes fere Doctores, & Præceptores Academiæ Eborensis, & nostræ Conimbricensis, verior, & receptior est doctrina, & resolutio præstita à sapientissimo, & religiosissimo Authore: & ideo cum ab omnibus approbata, & recepta sit, iniustam iudico omnem censuram illius, ob fundamenta ab eo maximo studio, & labore, & ingenio adducta. Quamobrem illi libentissime adhæreo, vt etiam annis præteritis in simili* Tractatu *adhæsi. Conimbricæ. Sub. C.*

Ego D. IACOBUS MENDEZ GODINHO, Decreti Cathedræ Moderator, & nunc primarius in Iure canonico Decanus.

89. *EX eleganter dictis, & adductis in hoc Tractatu, incipiente,* Liberat. *per sapientissimum, ac religiosissimum Magistrum, eius sententiæ adhæreo, & omnem illius censuram censeo iniustam: imo iudico, hanc opinionem esse laudabilem, & in praxi securam. Sub. C.*

D. ANTONIUS LAURENTIUS, Primarius Iuris Cæsarei Professor, Catholicæ Maiestatis Consiliarius, & Senator.

DOctrinam sapientissimi, & religiosissimi Patris, Stephani Fagundes, Societatis IESV, *super esum ouorum, & lacticiniorum, non semel approbaui, sed sæpe vidi, perlegi, & securissimam iudicaui, omni censura indignam, & omni laude, & approbatione dignissimam. Nunc Apologiam eiusdem doctrinæ, ab eodem sapientissimo Authore, vidi. Vna, & altera, tanti viri sapientiam, & Religionem clarissime referunt; imo insignem, & præclarissimam modestiam: quia iuste prouocatus, contra mordaces calumniatores non irascitur; sed leni stylo, fortissimis vero fundamentis, dum se liberat, aduersarios confundit, qui maxima notæ rei facti sunt, dum opinionem, in vtraque Lusitaniæ Academia, omnium calculis approbatam, temerariam, & scandalosam dicunt. Conimbricæ, in sacro Collegio D. Petri, 21. Augusti, 1629.* 90.

Sub. C. D. MARSAL CASADO IACOME, Iustiniani Codicis Professor, nunc Iuris ciuilis primariam regens Cathedram, Rector Collegij D. Petri, Regius Senator.

DOctissimi Patris, Stephani Fagundes, sententiam circa esum ouorum, & lacticiniorum, iamsæpe fui amplexus, quam Iuris principiis magis conformem, ac timoratis conscientiis vtiliorem semper iudicaui, & in hoc Regno Lusitaniæ magis communem. Nunc ipsius Apologiam similiter doctissimam recognosco, dignamque tanto viro: & in hoc Opusculo tam modesto, vt merito apud omnes semper haberi debeat in exemplum, quod de se erat sufficiens ad inuidorum morsus secludendos, vt contingere spero. Conimbricæ in Collegio D. Petri, die 21. Augusti, 1629. 91.

Sub. C. Doctor IOANNES DE CARVALHO, Clementinarum Cathedræ Moderator.

IAm semel approbaui opinionem doctissimi, necnon religiosissimi Patris, Stephani Fagundes, è Societate IESV, *quæ defenditur in suo Tractatu, qui inscribitur,* Liberat. *circa esum ouorum, & lacticiniorum: quam iterum affirmo esse probabilissimam; item etiam probabiliorem, & laudabiliorem contraria: temerariumque iudico, & scandalosum, posse à viris doctis temerariam iudicari, scandalosam, aut male sonantem: quin illam amplector, tanquam maxime tutam, Iuri, & rationi consonam, omnique censura liberam, proindeque dignissimam, vt typis mandetur. Conimbricæ in Collegio D. Petri, 21. Augusti, 1629.* 92.

Sub. C. D. FRANCISCUS GOMES, sacrorum Canonum Professor.

DOctrinam sapientissimi Patris, & religiosissimi Magistri, Patris Stephani Fagundes, circa ouorum, & lacticiniorum esum, iam semel approbaui: nunc, tanquam veram, & Iuris dispositioni magis conformem, eam neque temerariam, neque scandalosam dici posse, certissime affirmo; mirorque, doctos viros temeritatis nota in sententiam hanc insurgere; ipsosque potius dicerem temerarios, cum in rem à tot, tantisque viris probatam, & laudatam, scandali nomine scandescant; cum potius, ad tollendos multorum scrupulos, sententia hac religioni, ac diuino Dei obsequio vtilissima sit. Sic censeo, sic iudico. Conimbricæ, in Collegio D. Petri, 27. Augusti, anno 1629.

Sub. C. D. ANTONIUS LEITAO-HOMEM, sacrorum Canonum Cathedraticus.

Doctri-

93. *Doctrinam sapientissimi, ac religiosissimi Patris, Stephani Fagundes, circa ouorum, & lacticiniorum esum in ieiuniis Quadragesimæ, veriorem semper iudicaui, & Iuris principiis magis consonam: & iterum iudico, ob solidissima fundamenta, & rationes, quibus nititur: & omnem illius censuram indignam censeo, iniustam, & iniuriosam. Conimbricæ in Collegio D. Petri, 24. Augusti, 1629.*

Sub. C. D. STEPHANVS DE MIRANDA, Imperialis Iuris Magister, ac Professor.

94. *Sententiam hanc, etsi tantis Patribus contrariam, pro sapientissimo Authore, licet vnicus foret, probabilem iudicarem, sufficereque ad euadendam lethalis censuræ notam. Nunc vero tot insignium virorum authoritate fulcitam, valde probabilem, certam, & omni censura indignam censeo, libentissimeque ei subscribo. Conimbricæ, in Regio Collegio D. Pauli, die 16. Ianuarij, anno 1629.*

Sub. C. D. PANTALEON RODERICVS PACHECO, sacrorum Canonum Professor. sanctæ Inquisitionis Consultor, Canonicus Conimbricensis.

95. *Vidi opinionem sapientissimi Patris, Stephani Fagundes, è Societate* IESV, *qua asserit, non esse peccatum mortiferum, oua & lacticinia in ieiuniis Quadragesimæ, ex vi Iuris communis, & seclusa consuetudine regnorum, & prouinciarum, edere: qua quidem solidissime in Iure, & ratione fundata, & confirmata est, consensu tot insignium virorum, literis, sapientia, & religione, zelo animarum, & conscientiarum gubernandarum dexteritate præcellentium, vt illam, tam propter momenta rationum, quibus nititur, quam propter sapientissimorum Doctorum, & Prælatorum authoritatem, & vtriusque Academiæ huius Regni iudicium, ac calculum, quo confirmatur, non solum iudicem probabilem, sed etiam probabiliorem oppositâ, qua asserit, id esse peccatum mortale; ac ideo omni censura liberam. Nec video præiudicium aliquod, quod afferre possit emolumentis sanctæ Cruciatæ, respectu veritatis, & authoritatis, quæ tot, tantisque Prælatis, Magistris, & viris doctissimis huius Regni debetur.*

Sub. C. D. SEBASTIANVS TINICO, Doct. Theologus sancti Officij Inquisitor, Commissarius Generalis sanctæ Cruciatæ in tractu Ebotensi, Canonicus Eborensis.

96. *Sententiam sapientissimi, ac religiosissimi Patris, Stephani Fagundes, contentam in hoc Tractatu, cui titulus est.* Liberat, &c. *veram iudico, & immunem omni censura, propter eius fundamenta: & id iam etiam iudicaui, & ideo libentissime subscribo. Nabantia, vbi nunc ad Illustrissimorum Prælatorum Conuentum sum vocatus, die 28. Iulij, 1629.*

Sub. C. D. GONDICALVS ALVO GODINHO, Sexti Cathedræ nunc Substitutus.

97. *Sententia doctissimi Patris, Stephani Fagundes, qua asserit, vesci ouis, & lacticiniis in diebus Quadragesimæ, non esse peccatum mortale. ex vi capitis,* Denique. *dist. 4. iurisque communis, censeo non solum tutam, sed oppositâ multo probabiliorem: quam & verbis semel docui, & scriptis defendi; imo & Apologiam aliquando pro illa texui, & pro Authore, qui satis caute, & docte suam propositionem in suo libro limitat, attento Iure. Nam certe in Iure nullum verbum preceptiuum video, nedum peccatum mortale inducens. Secundò, quia loquitur attenta consuetudine regnorum, & prouinciarum, & verissime resoluit, vbi consuetudo est, non vescendi ouis, & lacticinijs, illamque legitimam esse constiterit, mortale esse illa comedere: è contrario vero, vbi est consuetudo illis in Quadragesima vescendi, non esse peccatum. Quod verum foret, etiamsi Ius commune expresse, & stricte id sub mortali præciperet; quia per contrariam consuetudinem legitimam legibus etiam canonicis derogatur. Totam igitur doctrinam sapientissimi huius Authoris in hoc Tractatu contentam approbo, amplector, & censeo iniuriosos Censores esse illos, qui illam nota aliqua velint afficere: quia communis consensus Doctorum, & Magistrorum huius regni Lusitaniæ illam approbat. Nabantia, vbi per id temporis ad Illustrissimorum Prælatorum Conuentum sum vocatus, die 28. Iulij, anno 1629.*

Sub. C. D. IOANNES DE MATTOS, Academiæ Eborensis Primarius Theologiæ Præceptor.

Seclusa consuetudine, quæ in aliquibus prouinciis strictiorem obligationem induxit, valde probabilem iudico illorum sententiam, qui asserunt, non esse mortalem culpam, in Quadragesimali ieiunio, ouis, & lacticiniis vti. Quamobrem iniurius erit Censor, qui doctrinam Patris Stephani Fagundes improbabilem, aut scandalosam, temerariamque iudicauerit, aut nota aliqua dignam statuerit, cum authoritate grauissimorum Doctorum, & solidissimis fundamentis, ac rationibus fulciatur. Olysipone in domo Diui Rochi. 98.

Sub. C. D. IACOBVS DE AREDA, olim Primarius sacræ Theologiæ Professor, nunc emeritus.

Sententiam, quam doctissimus Pater, & Magister Stephanus Fagundes, in hoc Tractatu explicat, & defendit, circa esum ouorum, & lacticiniorum, tempore Quadragesimæ, iam iterum approbaui, & nunc probo, propter fundamenta, & rationum momenta, quibus late, & dilucide eam probat, & confirmat. Ideoque iniuriosa censura liberam iudico. Conimb. apud Collegium Sancti Patris Benedicti. 99.

Sub. C. D. Frater LEO A DIVO THOMA, Cathedraticus Theologiæ Academiæ Conimbricensis in toto Regno Lusitaniæ, Ordinis D. Benedicti Generalis.

Sententiam, quam religiosissimus Pater, ac Magister, Stephanus Fagundes, in hoc Tractatu amplectitur, & defendit, circa esum ouorum, & lacticiniorum, tempore Quadragesimæ, *probabiliorem iudico propter fundamenta, & authoritates, quibus secure nititur, eamque vt talem iam sæpe docui, & in solitis concertationibus huius Collegij publice defendi; & nunc, re denuo pensata, magis probo, quam contrariam: & miror esse aliquos viros doctos, qui iniuste eam velint censurarum notis incusare. Conimbrica, apud Collegium D. Benedicti.* 100.

Doctor Fr. PAVLVS A NATIVITATE.

Sententia, quæ à religiosissimo Patre, & sapientissimo Magistro, Stephano Fagundes, in hoc Tractatu defenditur, solidissimis fundamentis stabilitur, & ita est Iuri, & rationi consentanea, vt merito à tot insignib. Doctorib. eius opposita præferatur, & probabilior iudicetur. Quod ego etiam iudico, censeoque, esse tutam, non solum speculatiue, 101.

sed etiam practice loquendo, & liberam omni iniuriosa censura; imo grandioribus laudum notis dignissimam iudico. Conimb. apud Collegium Diui Benedicti.

Sub. C. D. Fr. ANTONIVS CARNEIRO, in eodem Collegio Primarius Theologiæ Professor, & in re literaria Moderator.

102. *Semel iam perlegi Tractatum à sapientissimo, & religiosissimo Patre, Stephano Fagundes, compositum, cui titulus est,* Liberat, *&c. in quo Author semper sui simi'is:*
Sciuit enim iustum gemina suspendere lance
Ancipitis libræ.

103. *De opinione, qua defenditur in dicto Tractatu, circa esum ouorum, & lacticiniorum, primo interrogatus, breuiter iudicaui esse speculatiue probabiliorem, quam oppositam, & mihi omnino veram: deinde etiam in praxi esse maxime tutam, adhibitis moderationibus, quas Author prudenter apponit, de consuetudine prouinciarum, &c. & consequenter iudicaui, non solum, non esse dignam aliqua censura; sed esse omnino praeferendam, & docendam, vt iuri, & rationi magis consentaneam, ac tandem sequendam in praxi: nec esse locum dubitandi etiam valde scrupulosis, ac timoratis.*

Mirandum vero est, quod alicuius notæ Doctores (nisi forte ducantur affectu potius, quam ratione,) dictam sententiam, (vt fertur,) variis censuris afficiant. Non igitur est temeraria, imo grauissima authoritatis pondere, rationum momentis, consuetudinis legitime approbatæ calculo prudentissime stabilita. Non est ergo scandalosa, seu occasio lapsus, imo maxime tuta, & valde secura, & sine periculo peccandi mortaliter, vt docet.

Non male sonans, seu piarum aurium offensiua, si sint aures prudentes, & doctrina sufficienter instructæ, quas tantum respicit bonarum opinionum consonantia, non maleuolas, vel ignorantes, vt tradi solet 2. 2. q. 11. art. 2. apud D. Thom. vbi Lorca disp. 40. n. 16.

Non parum cohærens, imo semper in iisdem principiis persistit, quæ omnia libentissime, & euidenter probarem, nisi sapientissimus, & religiosissimus Author hoc elegantissime, & solita eruditione præstaret.

Quapropter meum iudicium semel datum iterum censeo confirmandum, ac proinde existimo, dictam opinionem, non solum liberam omnino esse ab omni censura, sed esse etiam longe probabiliorem, quam oppositam, & mihi veram, & ideo præferendam, vt iuri, & rationi magis consentaneam, ac proinde sine aliquo periculo doceri, & sequi potest in praxi. In Collegio Canonicorum Regularium, sancti Augustini. Conimb. Sub C.

D. D. GASPAR, sacræ Theologiæ primarius Magister emeritus.

104. *Quantum valui, attente legi, & perpendi præcedentem Tractatum, inscriptum,* Liberat, *&c. in quo Tractatu idem sapientissimus Author, ac Reuerendissimus Pater, Magister Stephanus Fagundes, facundo, ac merito coronando ingenio, & stylo intendit ostendere opinionem suam circa esum ouorum, & lacticiniorum in Quadragesima, liberam esse ab omni censura, videlicet, nec scandalosam, nec temerariam, nec male sonantem, aut cohærentem, quibus notis, talis opinio ab aliquibus Authoribus in Castella dicitur affecta. Itemque ostendit idem sapientissimus Magister, aduersariorum prædictas notas iniuriose inurentium fundamenta euertere, atque subruere. Et sane vtrumque plenissime, & planissime præstat idem sapientissimus Pater, Magister, in hoc Tractatu, & in altero, quod iam approbaui. In primis enim in priori aggressionis parte, vel potius iustissima huius sua defensionis, concludit, opinionem suam, à prædicta censura, & notis omnino esse liberam. Deinde, in posteriori parte ea fundamenta, quæ ab aduersariis in contrarium opponuntur, vel opponi possunt, ita subruit, vt si velint sapere, oporteat, eos iam modo doctrinæ sanæ acquiescere, nec velle iterum ad certamen redire. Tantum ergo abest, vt prædicta opinio censura aliqua notari possit, vt potius iure censenda sit, non solum admodum probabilis, sed etiam verior, quam eius opposita, vt concluditur in fine Tractatus. Quam resolutionem abunde concludere, & conficere videntur ea, quæ sapientissimus Pater, & Magister §. 1. num. 6. & §. 45. n. 38. inducit: & generaliter ea, quæ in toto Tractatu proponit, atque deducit, tanta eruditione plena sunt, vt aliquid addere ad rem, nec sit necessarium, nec etiam facile id esse videatur. Ita iudico. Conimb. in Collegio D. Augustini, Ordinis Canonic. Regular. die 21. Augusti, anno 1629.*

Sub. C. D. Dominus PAVLVS A PIETATE, sacræ Theologiæ Professor.

Perlegi superiorem Tractatum conscriptum à sapientissimo, ac religiosissimo Patre, Stephano Fagundes, cui titulus est, Liberat, *&c. Authoris opinio in eo contenta, circa esum ouorum, & lacticiniorum, in ieiunio Quadragesimæ, non solum est mihi vera, & speculatiue probabilior, quam eius opposita; sed etiam practice certa, & in praxi docendam, ac sequendam existimo, absque aliquo peccandi periculo: tum propter Authores, quos habet graues, & plurimos, & momenta rationum firmiora, quibus ipsa stabilitur: tum etiam propter limitationem, de prouinciarum consuetudine legitime approbata. Ex quibus titulis probabilitas opinionum, & securitas opinandi in qualibet materia morali desumitur, iuxta regulas Iuris, & principia Theologiæ: à censuris vero, quibus prædicta opinio ab aliquibus Doctoribus dicitur affecta, eam censeo prorsus liberam, & immunem; ac proinde, nec dici posse temerariam, vel scandalosam, vel male sonantem, aut parum cohærentem, cum à Prælatis grauissimis, ac viris doctissimis, & timoratis in praxi teneatur; cumque in omnibus, dum procedit iisdem principiis. Iuri, ac rationi maxime conformetur, prudentum, ac sapientum auribus bene sonet, quos pro ipsa allegat sapientissimus, & religiosissimus Author; cuius authoritas inter primas sapientiæ merito ab omnibus in nostra Lusitania commendatur. Quare dictam opinionem, vt mihi veram, & practice certam, ab omni censura immunem, & oppositæ omnino præferendam, duplici iudicii calculo à me approbatam semel, & iterum confirmo. Conimb. in Regali Monasterio sanctæ Crucis, Canonicorum Regularium sancti August. die 15. Augusti, anno 1629.* 105.

Sub. C. Dominus GEORGIVS, Doctor in sacra Theologia.

Tractatum præcedentem, cui titulus, Liberat, *&c. Latino idiomate, à sapientissimo, & religiosissimo Patre, Stephano Fagundes, concinnatum, attente perlegi, ipsiusque Authoris opinionem circa esum ouorum, & lacticiniorum, in Quadragesima; accurate librauí, atque examinaui; & non solum ob magnam Doctorum authoritatem, sed etiam ob rationum pondera, quibus Author eam corroborat, censeo, ac vere iudico, eam esse ab omni prorsus censura liberam, atque illius scandali, vel male sonantiæ obumbratione immunem. Vnde miror, non nemini talem doctrinam adeo esse suspectam, vt ei litem intendat: atque nescio, quo animo, & fundamento, temerariam, & scandalosam, non bene sonantem, sibiq; non cohærentem,* 106.

ventem, sua censura audeat exsibilare, cum non videam, cur pura hæc doctrina, quam commune recte theologantium suffragium recipit, præsertimque omnes Doctores Lusitani, denso agmine defensant, nauseam prouocet, cum potius, vt vere aurea, ac Colophonio calculo comprobanda sit opposita omnino præferenda. Ita iudico sub censura. Conimb. in Collegio sancti Augustini, die 27. Augusti, anno 1629.

Sub. C. D. IOANNES A PLAGIS, sacræ Theologiæ Vesperarius.

107. ATtento Iure communi, in quo non videntur sub mortali prohibita oua, & lacticinia, in Quadragesima, adeo probabilis est sententia hoc asserens, vt sine nota possit opposita præferri, propter fundamenta doctissime adducta, & authoritatem vtriusque Academiæ huius Regni Lusitaniæ: tum quia fauorabilior est, & ad vitandos scrupulosæ conscientiæ laqueos accommodata. Conimb. Sub. C.

Doctor Fr. EMMANVEL DE LACERDA, Professor Theologiæ in Academia Conimb. & in tota Lusitania Prouincialis.

108. STando in Iure communi, probabilissimam iudico sententiam affirmantem, non esse peccatum mortiferum, oua, & lacticinia edere in Quadragesima: quidquid sit de consuetudine, de qua mihi non constat, qualis sit in Regno Castellæ. Conimb. in Collegio sanctæ Mariæ de Gratia. Sub. C.

Doctor Fr. FRANCISCVS A FONSECA, Professor Theologiæ Cathedraricus Scoti.

109. OPinionem doctissimi Patris, Stephani Fagundes, è Societate IESV, de ouorum, & lacticiniorum esu, tempore Quadragesimæ, iudico probabilissimam ex illius fundamentis, & omni censura immunem, quam viri doctissimi huius Regni tenent: & in hoc Regno contrarium dicere, inauditum. Conimb. in Collegio sanctæ Mariæ de Gratia. Sub. C.

Magister Frater MICHAEL DE SOVZA, Theologiæ Doctor Salmanticensis, Rector Collegij.

110. OPinionem de esu ouorum, & lacticiniorum, in tempore Quadragesimæ, contentam in hoc Tractatu sapientissimi, ac Reuerendissimi Patris, Stephani Fagundes, ex illius fundamentis iudico probabilissimam, & opposita, quæ asserit esse peccatum mortale, omnino præferendam, & indignam omni censura, imo laudabilem, & quæ ab omnibus viris doctis amplectatur: præsertim cum ab vtraque huius Regni Academia, & fere ab omnibus viris huius Regni doctis, tanquam rationi, & Iuris canonici dispositioni conformior teneatur. Conimb. Sub. C.

Doctor Fr. GASPAR A REGIBVS, Carmelitani Collegij Regens, & sanctæ Inquisitionis Qualificator.

111. VIdi totum hunc Tractatum, & opinionem sapientissimi Patris, Stephani Fagundes, Societatis IESV, in quo asserit, ex vi Iuris communis non esse peculiquam veniale, oua edere, & lacticinia, in ieiuniis Quadragesimæ; & iudico, hanc opinionem esse indubitatam, Iuris communis dispositioni magis conformem, solidis fundamentis stabilitam, & à tot, tantisque Prælatis doctissimis huius Regni approbatam, & vsu, & praxi huius Regni confirmatam, vt non solum indignam omni censura censeam, sed multo probabiliorem opposita, quæ asserit, id esse peccatum mortale. Sub. C. in Collegio Carmelitano Conimbriensi.

D. Frater ALBERTVS A CONCEPTIONE, Professor Theologiæ Vesperarius.

112. DOctrinam, quæ continetur in hoc Tractatu de esu ouorum, & lacticiniorum, veram approbo, & licet non haberet solidiora fundamenta, & tot, tantosque sapientissimos Doctores pro se; adhuc vt certam tenerem, propter religionem, sapientiam, & virtutem sapientissimi Authoris, quam veneror, & quæ in præsenti Tractatu splendescit. Conimbricæ 10. die Iulij, anno 1629. Sub C.

Doctor LVDOVICVS DELGADO DE ABREV, Institutionum Iustiniani Professor, & nunc Digestor. veter. Cathedræ Moderator.

113. OPinionem hanc iam iterum firmaui, & liberam iudico omni censura: tum propter solidissima fundamenta, quibus nititur: tum propter tantorum virorum, & Prælatorum authoritatem, litteris præcellentium. Quare non video, cur à viris doctis de re tam clara dubitetur. Conimb. die 1. Septemb. anno 1629.

Sub. C. Doctor BALTHASAR ALVARES, Emeritus Primarius, & olim Cancellarius in Academia Eborensi, sancti Officij librorum Censor.

114. EStprobabilissima opinio sapientissimi Patris, Stephani Fagundes, asserens, de Iure communi non esse prohibitum sub mortali, in Quadragesimæ ieiunio vesci ouis, & lacticiniis; estque hæc opinio hodie inter Doctores recentiores communior. Nititur enim probabilissima, imo fere certa explicatione textus cap. Denique. dist. 4. & rationibus optimis, & solidissimis; neque loquitur de consuetudine contraria, in aliquibus prouinciis legitime introducta: ac proinde sententia, quam sapientissimus hic Author tradit in suo tomo in quinque præcepta Ecclesiæ, lib. 1. quarti præcepti, cap. 2. num. 12. & in hoc Tractatu defendit, nullo modo censura aliqua, nisi iniustissima, damnari potest. Ebora in Collegio Societatis IESV Sub. C.

Doctor STEPHANVS A COVTO, Professor emeritus primæ Cathedræ Theologiæ, & Academiæ Eborensis nunc Cancellarius.

115. OPinio sapientissimi Patris, Stephani Fagundes, de esu ouorum, & lacticiniorum, quæ asserit, de Iure communi, & seclusa consuetudine regni, aut prouinciæ, hæc edere in Quadragesima esse tantum peccatum veniale, non solum in practica est tuta, & probabilis, sed etiam multo probabilior, quam opposita, quæ docet id esse peccatum mortale: quod ipse ex principiis Iuris optime, & copiose ostendit in duobus Tractatibus, quos ego iam approbaui, & iterum hunc approbo. Illam igitur opinionem, ex iisdem fundamentis, quibus sapientissimus hic Author illam confirmat, veram iudico, tutam in praxi, & omni censura (si iusta sit) immunem, quam proinde in hoc Regno Lusitaniæ omnes Iuris canonici Interpretes sequuntur. Sub. C.

Doctor SEBASTIANVS A COVTO, Primarius Theologiæ Professor in Academia Eborensi emeritus.

116. DOctrinam huius Tractatus doctissimi Patris, Stephani Fagundes, de ouorũ, & lacticiniorũ esu, tempore Quadragesimæ, verissimã iudico, & semper iudicaui, & iã sæpe in aliis Tractatib. huius sapientissimi viri approbaui, ex iisdem Iuris principiis, authoritatibus, & rationibus,

nibus, quibus ille nititur; & solum illi, vt puto, eam iniustissimis censuris afficient, qui veritatem nolunt intelligere. Eamque ego ipse, tam in Academia Eborensi, quam Olysiponensi quondam docui, & modo illi firmius adhæreo, propter solida fundamenta huius Authoris, & iudicium vtriusque Academiæ huius Regni Lusitaniæ. Sub C.

P. BAPTISTA TRAGOSIVS, primæ Cathedræ Theologiæ moralis emeritus Professor.

117. Opinio hic à sapientissimo Patre, Stephano Fagundes, explicata, & solidissimis rationibus confirmata, semper mihi visa fuit, non solum ab omni immunis censura; sed etiam oppositâ valde probabilior. Quapropter non video, cur timendum sit, quod vel bonis moribus, vel prouentibus Cruciatæ obesse possit. Et quamuis his prouentibus modo aliquo obesset, quod non video, vt egregiè sapientissimus hic Author probat; deberet veritas præualere apud viros doctos, qui rem literariam sciunt expendere. Quapropter libenter subscribo. Eboræ in Collegio Societatis IESV.

Sub. C. D. LVDOVICVS RODERICVS, Vesperarius Theologiæ Magister in Eborensi Academia.

118. Opinio doctissimi Patris, Stephani Fagundes, est tot, tantorumque Doctorum, & Prælatorum authoritate fulcita, tam solidis rationibus, & fundamentis stabilita, vt res dura videatur, ne dicam, audacia, vel temeritas, eam iniuriosa censura temeritatis, scandali, aut male sonantiæ notis velle afficere. Quapropter illi libenter subscribo, vt iam subscripsi: Eboræ in Collegio Societatis IESV.

Sub. C. D. PETRVS DE MOVRA, secundus Vesperarius Theologiæ Magister.

119. Vidi totum hunc Tractatum à sapientissimo, & religiosissimo Patre, Stephano Fagundes, concinnatum, cui titulus, Liberat, &c. in quo prædictus Author tam grauibus rationibus, tam solidis fundamentis, Iuris, & Theologiæ, notas suæ opinioni de esu ouorum, & lacticiniorum, à nonnullis iniustè positas, ea modestia iustè prouocatus confutat, vt nihil amplius, vel addi, vel desiderari possit ea in re. Imo, si contrarij velint sapere, conticescent. Quare iudico, nullum Doctorem, qui veritatem velit scire, posse de hac doctrina, in hoc Tractatu contenta, dubitare; nisi velit contra veritatem recalcitrare. Quamobrem libera omnino omni censura hæc doctrina est, imo certa, & solida: & dignus est huiusmodi Tractatus, & alter, cui etiam iam subscripsi, vt non solum ab omnibus viris doctis laudetur, & in oculis feratur; sed etiam vt typis, in obsequium veritatis, mandetur. Conimb. in Collegio Societatis IESV.

Sub. C. MICHAEL TINOCO, sacræ Theologiæ Primarius Magister.

120. Legi attentè Tractatum incipientem, Liberat, &c. doctissimi Patris, Stephani Fagundes, in quo mira claritate, & solidis fundamentis ostendit, suam opinionem circa esum ouorum, & lacticiniorum, in tempore Quadragesimæ, neque temerariam, neque scandalosam, neque male sonantem, aut cohærentem esse: de qua ego etiam ita censeo: imo iudico esse verissimam, & meritissimo oppositæ sententiæ præferendam; & iniurios, atque iniuriosos esse illos, qui censura aliqua eam velint perstringere, ne dicam veritatis osores, vt iam in alio Tractatu, cui subscripsi, ostensum est clarissime ab eodem sapientissimo Authore. Conimbricæ, in Collegio Societatis IESV.

Sub. C. AYRES FERREIRRA, Vesperarius Theologiæ Magister.

Accurate legi Tractatum hunc sapientissimi Patris, Stephani Fagundes, Societatis IESV, qui incipit, Liberat, &c. de esu ouorum, & lacticiniorum, in tempore Quadragesimæ, censeoque huius doctissimi Patris hac in re opinionem, & doctrinam, non probabilissimam modo, vtpote firmissimis, ac sapientissimis rationibus fultam, & omni liberam censura; sed amplectendam omnino, (præsertim in Regnis vtriusque Castellæ, vbi tanta est piscium penuria,) vt vtriusque Iuris Sanctionibus, & vtriusque Scholæ Theologiæ maximè consonam, proindeque dignissimam, quæ typis mandetur. Conimbricæ, in Collegio Societatis IESV. 121.

Sub. C. D. ANTONIVS DE CASTELLOBRANCO, Professor sacræ Theologiæ emeritus.

Legi, vidi, & attente consideraui totum hunc Tractatum doctissimi Patris, Stephani Fagundes, cui titulus, Liberat, &c. vid que censuras, quas illius sententiæ, circa esum ouorum, & lacticiniorum, aliqui inurunt, quàs vehementer, (vt quod sentio, fateatur,) admiror, & non possunt non mirari omnes viri docti huius temporis, propter sapientissimi huius Authoris fundamenta, & maximè ob communem vsum, & praxim huius Regni, quam allegat. Quamobrem illius opinionem verissimam arbitror, dignam, non tantum, quæ ab omnibus viris doctis obseruetur; sed etiam, quæ typis mandetur, vt pateficat orbi veritatis vis. Conimbricæ, in Collegio Societatis IESV. 122.

Sub. C. ANTONIVS GONDISALVVS.

Accurate perlegi Opusculum docte concinnatum à sapientissimo, nec non à religiosissimo Patre Stephano Fagundes, cui titulus est, Liberat, &c. cum egregia Doctoris laus sit, perspicuitas, mira ea, ac pellucida in hoc Opere apparet. Nihil in eo offendi, quod pias offendat aures; nihil temerarium, aut cum Christianis moribus parum cohærens, à sanctissimis fidei decretis nihil dissonum. Itaque, non solum ab omni censura liberam censeo, sed dignam laurea. Vnde opinio huius sapientissimi Authoris non tantum sit mihi probabilior, sed pene certa; vtpote tot, tantisque insignium Authorum, vtriusque celeberrimæ Academiæ huius Regni fulta testimonijs, & firmissimis stabilita rationibus. Conimb. in Collegio Societatis IESV. 123.

Sub. C. ANDREAS LVDOVICVS.

Doctrinam doctissimi Patris, Stephani Fagundes, circa esum ouorum, & lacticinorum, in ieiunijs Quadragesimæ, nulla censura dignam censeo: imo iudico esse certam, & verissimam; & non posse condemnari, nisi ab iis, de quibus loquitur Turrianus 2.2.q.5 art.1.disp.55. dub.3. §. Rursus in hæc verba. In quo, inquit, non pauci, neque indocti Theologi errare solent, qui non consideratis fundamentis alicuius sententiæ, eam damnant, vt temerariam, quod ad censuras procliues sunt. 124.

Tria enim docet sapientissimus Fagundes. Primum est, quantum est ex vi Iuris communis, præscindendo ab omni consuetudine, non esse peccatum mortale, vesci ouis, & lacticiniis, in Quadragesima. Ita habet in quarto præce- 125.

præcepto Ecclesiæ, lib. 1. cap. 2. n. 10. & 12. Et optimè ostendit in hoc Tractatu. Secundum est, esse peccatum mortale, vesci ouis, & lacticiniis, in Quadragesima, in iis regionibus, vbi legitimè introducta est consuetudo illa non edendi. Ita habet dicto cap. 2. nu. 14. & euidenter demonstrat in hoc Tractatu. Tertium est, nullum esse peccatum, neque mortale, neque veniale, edere oua, & lacticinia, in Quadragesima, in iis regionibus, vbi legitimè introducta est consuetudo edendi illa. Ita expressè docet dicto cap. 2. num. 11. & manifestè probat in hoc Tractatu.

Tres autem assertiones positæ verissimæ sunt. Et quod attinet ad secundam, & tertiam, nullus Theologus, nec Iurisperitus, de illis vnquam dubitauit, neque dubitare poterit, nisi qui vim consuetudinis legitimè introductæ non agnouerit. Primam autem assertionem, & illius veritatem non negabit, nisi qui Glossas ad caput, Denique. *dist. 4. & Palatium, & Ferdinandum Perez, viros grauissimos, & literatissimos, quos fideliter Pater Fagundes allegat, quia vidit legit, & sæpiùs euoluit, adhuc non agnouit, nec audiuit: quibus profectò concinit illud Turriani citati, dicta disp. 55. dub. 3.* §. Secus tamen. In quo, *inquit ille,* non rarò deficiunt aliqui viri docti, iudicantes aliquam opinionem singularem esse, qui abstinuissent à censura, si Authores sedulò lectitassent. *Et iterùm:* Neque iudicemus, esse singulares ante exactam lectionem Doctorum, quorum scripta sedulò si euoluamus, sæpè inuenimus opinionem, neque esse nouam, neque singularem, &c.

Et certè, qui doctrinam sapientissimi Fagundes in dicta prima assertione, nouam, & singularem appellant, ingenuè fatentur, se Doctores, quos ipse pro se allegat, sedulo non lectitasse, imo adhuc non cognouisse Glossas cap. Denique. *& multo minùs vim Latinitatis in verbo;* Par, *in quo est tota vis præceptiua abstinendi ab ouis, & lacticiniis, in ieiuniis Quadragesimæ, vt patet ex dicto cap.* Denique. *Quapropter à censura abstinere deberent, nisi vellent ipsi censurari. Et quamuis pro hac parte noster Author nullum citaret Doctorem præter Glossas dicti cap.* Denique. *sufficiens authoritatis fundamentum haberet hæc assertio.* Glossarum enim authoritas, *inquit Emmanuel Barbosa, ad Ordin. Lusitan. lib. 3. cap. 64. §. 1.* maxima est, imò omnes alias antecedit.

Et non possum non mirari vehementer homines, qui adhuc sua scripta typis non mandarunt, quomodo audeant damnare doctrinam in tota Lusitania, imo penè in toto terrarum Orbe receptissimam, & à tot, tantisq; doctissimis viris & Magistris, quales Fagundes in hoc Tractatu allegat, approbatam, & firmatam, quorum aliqui iam sua scripta typis mandarunt, & omnes alij sunt publici literarum Professores. Habentne plus authoritatis hi Censores libri sapientissimi Fagundes, ad damnandum, qui forsan cathedras non ascenderunt, quàm hi, qui in Lusitaniæ cathedris publicis versantur, & versati sunt magna cum laude, ad approbandum, & confirmandum? Id certè non iudicat communis consensus totius penè Orbis, in quo hæc doctrina hucusque impugnata non est, sed potiùs maximè probata, & recepta.

Et addo, apud me tantam esse authoritatem doctissimi Fagundes, vt quamuis illius doctrina, circa esum ouorum, & lacticiniorum; quantùm est ex vi Iuris communis; nullos alios haberet assertores, tutè defendi posset, vt valdè probabilis, iuxta ea, quæ communiter Doctores in materia de conscientia, cum Diuo Thoma *quodlibet 3. art. 10. Angel. verbo,* Opinio. *numer. 2. & ibi Syluester q. 1. Nauarrus in Summa, cap. 27. num. 188. Sanches 1. tomo in Decalogum, ca. 9. num. 7. Saa verbo,* Dubium. *num. 3. Gil tract. 7. cap. 11. num. 4. & aliis, quos prædicti allegant. Videatur etiam Turrianus citatus disputatione 55. dub. 3.* §. Mihi placet. *Quamobrem illius doctrinam omninò vt certissimam, & verissimam, approbandam, & firmandam iudico. Conimb. in Collegio Societatis* Iesv, *11. Decemb. anno 1629.*

Antonivs Barradas, Vesperarius Magister sacræ Theologiæ.

Plura alia testimonia sapientissimorum Doctorum, quæ habeo, omitto, ne fastidio, & nauseæ sim Lectoribus.

Fidem facio ego Emmanuel de Rocha Paes, Publicus Notarius approbatus, authoritate Apostolica, in hac Vrbe Conimbricensi, huius Regni Lusitaniæ, me fecisse fideliter transcribere hunc præsentem Tractatum sapientissimi Patris, Stephani Fagundes, Societatis Iesv, *de esu ouorum, & lacticiniorum, cum omnibus approbationibus Illustrissimorum Prælatorum, Doctorum, & Magistrorum sacræ Theologiæ in illo contentis, & insertis vtriusque Academiæ, Conimbricensis, & Eborensis, & cum omnibus etiam Approbationibus Doctorum vtriusque Iuris huius almæ Academiæ Conimbricensis, ex proprio originario ab omnibus subscripto, quem vidi, & quorum subscriptiones recognoui, & alia iam erant etiam recognitæ: cum quo originario, ego, & alter Notarius, qui hic mecum subscripsit, benè, & fideliter hunc transumptum præsentem contulimus, ad quem me remitto. In cuius rei fidem rogatus, & requisitus publica subscriptione subscripsi. Conimbricæ 1. die Septembris, anno 1629.*

Collatus per me notarium Apostolicum, Emmanvelem De Rocha Paes.

Et per me Notarium Apostolicum,

Franciscvm Ferdinandvm Ab Almeida.

Referuntur approbationes insignium Doctorum, & Magistrorum, Iuris canonici, & ciuilis, almæ Academiæ Salmanticensis, qui hac de re fuere consulti, hoc anno 1630. mense Ianuario.

Non potuimus ordine dignitatis, & antiquitatis, has Salmanticenses subscriptiones ponere: vt enim ex tempore veniebant, sic prælo dabantur. Hoc animaduertendum esse putauimus, ne aliquis nos inurbanitatis, aut inanimaduertentiæ incuset: desideramus enim gratos, & vrbanos esse, & videri. 126.

Credo quidem, hanc opinionem eruditissimi Patris, Stephani Fagundes, prout hic iacet, & in suis Scriptis proponitur, non esse improbabilem, nec censura dignam: quamuis contrariam prorsus putem veriorem. 127.

Doctor Ioannes de Valboa Morgobeio, sacrorum Canonum primarius Salmanticensis Professor.

Opinio doctissimi Patris, Stephani Fagundes, è Societate Iesv, *tradita in quinque præcepta Ecclesiæ, lib. 1. de ieiunio, cap. 2. num. 10. vsque ad 15. & in ista Apologia propugnata, quòd in terminis ecclesiastici præcepti, de ieiunio, seclusa consuetudine, veniale tantum peccatum sit, oua, aut lacticinia mãducare in diebus* 128.

Quadra-

Quadragesima, non est noua, non est temeraria, non est scandalosa, non est piarium aurium offensiua, nec parum cohærens, aut digna censura; tot doctißimorum Virorum sententia, & rationes, eam probabilem faciunt; quamuis contraria opinio, quòd peccatum mortale committatur in esu ouorum, & lacticiniorum, in prædictis diebus, sicut communior, ita mihi probabilior. Subscripsi sub correctione. Salmanticæ, 14. Ianuar. 1630.

Doctor MARTINVS DE BONILLA, Decreti Cathedræ Salmanticensis Antecessor.

129. *OPinionem in hac Apologia, cuius inscriptio,* Liberat, *&c. relatam, fulcitam, & vindicatam per Reuerend. Patrem, Stephanum Fagundes, ab scandali nota, & temeritatis vitio immunem reor: nam, etsi contraria sententia crebriori Canonistarum, & Theologorum calculo recepta sit; tamen hæc, quæ asserit, attento duntaxat Iure communi, non esse peccatum mortale, ouis, & lacticiniis vesci, in ieiuniis Quadragesimæ, probabilis, & defensabilis mihi videtur: cùm, quia assertores habet aliquos Doctores scribentes, laudatos in hoc Opusculo, quibus addendus est Martinus Bonacina, Mediolanensis, recens ac diligens Magister, & de morali Theologia optimè emeritus, in sua Summa de casibus conscientiæ, tomo 2. disp. vltim. de præceptis Ecclesiæ, quæst. 1. puncto 2. num. 2. pag. 318. tum, quia non repugnat alicui expressæ, præceptiuæ, & authenticæ (quam sciam) Iuris decisioni: nam illa, quæ collocatur à Gratiano in 4. dist. cap.* Denique. *vers.* Par autem. *præterquàm quòd non inueniatur in Operibus Diui Gregorij, vt testantur Conar. lib. 2. Var. cap. 20. num. 15. Vidaldus in Supplemẽto Candelab. c. 11. numer. 18. continet potius exhortatiua, quàm præceptiua verba. Et alia decisio, quæ adduci solet ex sexta Synodo,* Canone 56. *fidei, & canonicæ authoritatis defectu laborat. Quippe vera sexta Synodus Actiones fecit 18. vel vt alij volunt, 19. Canones autem nullos addidit, vt patet ex Concilio Niceno secundo, quod fuit VII. Synodus generalis, Actione 4. & 5. Sed post illam sextam Synodum iam dissolutam nonnulli Episcopi Orientales conuenerunt Constantinopoli, & in Palatio Imperatoris Iustiniani II. quod Trullum dicebatur, centum duos addiderunt* Canones, *eosque sub nomine sextæ Synodi edi fecerunt, qui propterea Trullani appellantur, quique, nec sunt canonici, nec ab aliquo Pontifice approbati. Ita notant, & prosequuntur Beda libr. 6. de sex ætatibus, in Iustiniano: Paulus* Diaconus *libr. 8. de rebus Romanis, cap. 9. Anastasius, Theophan. & Vmbertus, quos refert Simancas de Catholicis Instit. tit. 40. num 38. Sotus in 4. dist. 38. q. 1. art. 2. colum. 4. vers.* Quocirca, *& libr. 7. de iust. 6. art. 2. versiculo.* Hæc ergo. *Valentia 4 p. disp. 9. q. 5. & puncto 5. §. 2. versiculo,* Respondeo, Canones illos. *& disp. 10. qu. 5. puncto 3. in impedimento dispar cultus. §.* Cùm in fideli autem. *Bellarm. 1. tomo, lib. 1. de Clericis, cap. 21. versiculo,* Ad tertium. *Doctor Didacus Vera, Salmanticensis Decreti Antecessor, in relectione, cap.* Sextam sanctam. *de consecrat. dist. 3. typis mandata anno 1565. assertione 2. cum sequentibus. Azor. Inst. moral. 2. p. lib. 5. cap. 16. vers.* Sextum Concilium. *Ægidius Coninc de Sacramentis, disput. 20. de Sacramento Ordinis, dub. 9. n. 89. Possevinus in apparatu sacro, verbo,* Constantinopolitanæ sextæ. *fol. 553. Dominicus Rodericus à Cuiiba in commentario, ad caput,* Sexta Synodus. *dist. 16. nu. 1. qui omnes adeundi sunt pro exclusione dicti Canonis 56. præter congestos à sapientissimo Fagundes, in hac Informatione, §. 7. Sic censeo, salua correctione, &c. Salmanticæ, 9. Ianuarij, anno 1630.*

Doctor MARTINVS LOPES DE ONTIVEROS, apud Salmanticenses Vesperorum Sexti Moderator.

PRopositionem expositam à Reuerendo admodum Patre, pariterque doctißimo, Stephano Fagundes, Societatis IESV, *in sua Apologia, circa esum ouorum, & lacticiniorum, valdè probabilem censeo, & Iuri consonam iudicabit, qui vim consuetudinis legitimè introductæ agnouerit: eamque ab omni censura liberam existimo, saluo in omnibus, &c. Salmanticæ, 16. Ianuarij, 1630.* 130.

Doctor PAVLVS DE MAQVEDA VALDERRAMA, Iuris ciuilis Primarius, & Collegij Decanus.

SEntentiam, doctrinam, & opinionem doctißimi Patris, Stephani Fagundes, Societatis IESV, *de ouorum, & lacticiniorum esu, tempore Quadragesimæ, de qua in suis doctißimis Commentarijs in quinque præcepta sanctæ Matris Ecclesiæ, lib. 1. 4. præcepti, de ieiunio, c. 2. n. 6. probabilem esse existimo, & plurimorum Doctorum fulcitam fundamentis, & scripturis: quare minùs legitimam censuram existimantium temeritatis notam incurrere, arbitror; imò, vtpote solidißimis rationibus corroboratam, defensionis dignam, Salmanticæ, 12. mensis Ianuarij, anno 1630.* 131.

Doctor D. GREGORIVS A PORTILLO, Vesperarius Iuris ciuilis Antecessor apud Salmanticenses Iurisprudentiæ Patres.

HAnc sapientißimi Patris, Stephani Fagundes, opinionem de esu ouorum, & lacticiniorum, in ieiunijs Quadragesimæ, à me perlectam, probabilem esse censeo, omnique erroris suspicione aduersus Catholicam fidem admißi, temeritatisque notæ carentem, sub correctione sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ. Datum Salmanticæ in hoc maiori Iacobi Zebedæi Collegio, die 24. mensis Ianuarij, anno 1630. 132.

Licentiatus BERNARDVS DE CORVERA E LASARTE, Legalis disciplinæ vespertinæ Cathedræ Moderator.

DIsputationem doctißimi Patris, Stephani Fagundes, seriò perlegi, quæ sententiam suam, iam antè in publicam emissam, scilicet, ouorum, & lacticiniorum esum, in Quadragesimæ ieiunijs, ex sola sacrorum Canonum dispositione, tantummodò inducere culpam venialem, neruosè defendit; cuius rationes, & fundamenta tot grauißimorum virorum authoritate firmata probabilem hanc partem ostendunt; liberamque ab omni censuræ nota: idque ego post rem diligenter perpensam sentio, & iudico. Submittimur tamen pro more, non solùm Catholicæ Ecclesiæ examini: sed etiam cuiuslibet docti hominis, qui meliora proponat. Salmanticæ, in almo veteri sancti Bartholomæi Collegio, die 15. mensis Ianuarij, anno 1630. 133.

Licentiatus D. FRANCISCVS SARAVIA, sacrorum Canonum vesperarius Antecessor.

TRes enuntiationes tradit doctißimus pariter, & religiosißimus Pater, Stephanus Fagundes, in suo eruditißimo Tractatu in quinque Ecclesiæ præcepta, libr. 1. quarti præcepti, cap. 2. num. 10. & sequentibus, duas quidem nemini dubias, alteram hoc æuo inter Doctores non infimi subsellij, magnis contentionibus vexatam. Quæ ita se habet: Inspecto solo Iure communi pontificio, seclusa quacunque consuetudine, non est peccatum lethale, sed veniale, vesci ouis, & lacticiniis, in Quadragesima. *Hanc assertionem cùm eo loci immisissem, probabilem censui, biennio elapso; cùm primùm liber* 134.

hic

probabilem censui, biennio elapso; cùm primùm liber hic ex Gallia adhunc Acad. miam transuectus est. Nunc verò, qua idem eruditissimus Pater huius sententiæ asserendæ, & à quorundam calumniis vindicanda causa profert in peculiari Tractatu hac de re edito, adeò me trahunt, vt liberè sentiam, traditionem hanc non solùm Iuri nostro Pontificio non refragari; sed maturiùs potiùs, pensitatis Gregorij verbis. qua extant in cap. Denique. *vers.* Par autem est. *dist.* 4. *suffragari, eidemque accedere. Quam etiam sententiam, non paucis nostris Pontificiis Interpretibus placuisse scio. Quæ item assertio eò magis indubia fiet ei, qui contenderit cum Couar. lib. 4. Variar. cap. 20. à num. 15. textum in dicto cap.* Denique. *apud Gregorium, non reperiri: quo admisso, crederem vtique, contrariam sententiam, nulla Iuris ratione subniti, cùm sola sit, quæ ex dicto cap.* Denique. *deducitur ab eius sententiæ Authoribus. Sed adhuc nihil detrahentes de fide Gregorij in dicto cap.* Denique. *interpretationem, quam eius loci verbis doctissimus vir affert, non solùm probabilem, sed etiam mirificè conuenire iudicio; vt proinde fiat immeritò, sententiam hanc, vt nouam, scandalosam, temerariam, ac censura dignam inuri. Subscribo igitur libens, & in eandem sententiam manibus eo, dum propria manu, tantorum Patrum iudicium probare confirmo. Sic censeo. Salmantica ex Musæo nostro, 8. die Ianuarij, anno reparatæ salutis 1630.*

Doctor Ferdinandvs Arias de Messa, Primarius Iuris Pontificij Salmantinus Antecessor.

135. *HÆc assertio sapientissimi Patris, Stephani Fagundes vesci quippe ouis, & lacticiniis in Quadragesima, si res ex solo communi Iure æstimetur, seclusa consuetudine contraria, lethale non esse peccatum, & grauissimorum virorum iudicio, & magnis rationum momentis stare mihi videtur. Idcirco valde eam probabilem censeo, nec dignam, vt conuitiis, quæ suprà referuntur, lacesseretur ab aduersariis, imò magni haberetur, ob tanti viri iudicium, tantaque authoritatis incrementum. Ita iudico in hoc maiori Salmanticensi Collegio, Diuo Saluatori sacro, vulgo de Ouiedo, die 10. mensis Ianuarij, 1630.*

Licentiatus D. Martinvs de Larriategvi, Iustinianici Codicis Cathedræ antiquior Moderator.

136. *SEntentiam doctissimi, & grauissimi Patris, Stephani Fagundes, Societatis* Iesv, *suprà, vesci ouis, & lacticiniis, in Quadragesima, non esse peccatum mortale, attenta Iuris communis Pontificij dispositione, & seclusa quacunque consuetudine; sed tantum peccatum veniale: probabilissimam censeo: quippe quæ non solùm authoritate, sed validissimis rationibus fulcitur, & apertissimis argumentis ab impugnationibus vindicatur. Quare, nec nouam, nec temerariam, nec censura dignam iudico: nullum enim meo iudicio scandalum continet. Ita censeo in hoc maiori Collegio Diuo Saluatori dicato, vulgo de Ouiedo, die 11. Ian. anno 1630.*

Licentiatus D. Franciscvs de Robles Villafanne, maioris Institutionum Cathedræ Antecessor.

137. *DOctissimi Patris, Stephani Fagundes sententiam circa esum ouorum, & lacticiniorum, vidi, & perlegi; & cum debita consideratione ponderaui, eamque valde probabilẽ iudico, grauissimisque fundamentis stabilitam, & circumuallatam; durumque reputo, eam notis temeritatis, scandali, & malesonantiæ afficere. Sub C. Salmantica, die 15. mensis Ian. an. 1630.*

Doctor Franciscvs Sancivs Randoli, Clementinarum Cathedræ Moderator, & sanctæ Inquisitionis famulatu potentis.

QVæ circa ouorum, & lacticiniorum esum, in Quadragesimæ ieiuniis, clarissimus, ac Reuerendissimus Pater, Stephanus Fagundes, scripsit, primum Tractatu in quinque præcepta Ecclesiæ, lib. 1. qua ti præcepti, de ieiunio, cap. 2. n. 10. dein asseruit & firmauit plenius in apologetico Syntagmate, legi auide, ea ideque. Scriptorem reperi felicem, & facilem in dicendo; subtilem; & sublimem in disserendo, nec minoris in vtroque doctrina, quam modestiæ, cuius rei dedit specimen, dum aliorum censuræ placide, & amice respondet. Amabunt (scio) omnes, qui Musas, & modestiam amant. Itaque (serio testor) dolui, non solum errorum, sed etiam temeritatis, & scandali, damnari doctissimi & disertissimi viri sententiam, qua docet, Iure inspecto, non more, solius venialis culpa reos esse ouis, & lacticiniis in ieiuniis Quadragesimæ vescentes. Nec ignota, aut ignorata mihi ouorum, & lacticiniorum cum carne quasi cognatio, quorum primum, liquidas carnes; alterum, id est, Lac, sanguinem, vocabant Ægyptij Sacerdotes, teste Hieronymo lib. 2. ad Iouinianum. Nulla tamen est, quam sciam, Iuris, aut antiquioris Interpretis authoritas firma, vel certa, quæ mortalem reatum in lacticiniis ponat, & in infelicibus (vt ille vocatur) ouis. Quare in quæstione hactenus discussa potius, quam decisa opinionem hanc, acerbiori censura indignam esse censeo; nec illam, vt cum Vlpiano hoc dicam; vtpote probabilem, ea censura noto. Ex animi sententia scripsi, & subscripsi. Salmanticæ, Idibus Ianuariis, anno 1630. 138.

Doctor Franciscvs Ramvs del Mancano, Voluminis, vt vocant, Cathedræ Antecessor.

OPusculum quoddam Reuerendi admodum, & doctissimi Patris, Stephani Fagundes, Societatis Iesv *Presbyteri pro defensione opinionis, de ouis, & lacticiniis, quadragesimali tempore edendis, quam ipse in Tractatu iampridem à se composito, omnis eruditionis, & illustrium disciplinarum cognitione vndequaque referto, cui argumentum sanctæ Matris Ecclesiæ præcepta quinque dederunt, amplexus est, editum nuper, oblatum mihi, & ad calcem plurimorum magni nominis, tam sacræ Theologiæ, quàm Iuris vtriusque in Lusitania, celebrium Professorum subscriptionibus, & authoritate comprobatum, intentus animo vidi, & quâ potui diligentiâ perlegi. Opus certe foliorum volumine paruum; sed rerum serie, & rationum pondere magnum. Vtrasque ibidem, cum rationis puritate, & dicendi facundia, Fagundes sit feliciter coniunxit, vt mirandis omnibus, stupendique refracta in necessitatem inciderit, atque supra assertam à se ita sententiam tuetur, vt ab impugnationum vellicationibus, eandem omnino liberauerit, & quod in inscriptione Opusculi fuerat pollicitus, (qua ita concepta est,* Liberat Pater Stephanus, *&c.) denique assecutus gloriosissime præstitisse videatur. Opinionem autem eius, Iure communi attento, probabilem valde, nec temeritatis inuri nota semper existimaui. Quocirca posse non sine ratione defendi censeo; præsertim, cùm neque aperto, quod viderim, Iuris responso refragetur, & tam tot clarissimorum virorum comprobatione fulciatur, sub quorum censura, &c. Salmanticæ è Musæo nostro, 15 Ian. 1630.* 139.

Petrvs de Villalobos, in Salmanticensi Academia Iuris ciuilis Doctor, & Codicis Iustiniani Antecessor.

Steph. Fagundes Apolog. D Sapienti-

140. *Sapientißimi & religiosißimi Patris, Stephani Fagundes, sententiam in hoc Tractatu, cuius titulus est,* Liberat, *&c. comprehensam, immunem censura, & correctione existimo, propter doctißima fundamenta, quibus fulcitur, proindeque dignißimam, vt typis mandetur. Salmanticæ in hoc maiori D.ui Bartholomæi Collegio, 17. Ian. 1630.*

Licentiatus Dom. Thomas de Arredondo, sacrorum Canonum Professor, & maioris decretalium Cathedræ moderator.

141. *Opinionem Reuerendi Patris, Stephani Fagundes, è Societate* Iesv, *de esu ouorum, & lacticiniorum, in ieiunijs Quadragesima, probabilem iudico, attenta Iuris communis dispositione: salua,* &c. *Salmanticæ 17. Kalendas Februar. anno 1630.*

Licentiatus D. Andreas de Billela, Salmanticensis Decretalium Cathedræ Antecessor.

Deest hic iudicium, & Approbatio sapientissimi, ac eruditissimi Domini, Doctoris D. Antonij Calderon, Canonici Salmanticensis, dignissimi Cathedræ Scoti Moderatoris, cuius sapientia, & subtile ingenium, quantumuis maximis, nunquam dignis laudibus efferetur. Et causa, ob quam deest, ea est: quia. vt extempore venit, statim supremo sanctæ Inquisitionis Tribunali oblata fuit: dies enim nobis indictus erat ad nostras rationes, fundamenta, & defensiones offerendas; & ideo eam transcribere non potuimus, nec postea, vt semel oblata fuit, ad nostras manus potuit peruenire; quantumuis id impense, & operose procurauerimus: manent enim originalia semper in sanctæ Inquisitionis Archiuo. Desunt etiam ob eandem rationem, aliæ Approbationes aliorum Theologorum eiusdem Academiæ, præsertim nonnullæ Professorum Theologiæ è Familia illustrissima Diui Hieronymi, quæ inter multas, & eruditissimas, velut Luna inter minores stellas, poterant splendescere.

CENSVRA REGII COLLEGII SALmanticensis, è Societatis Iesv.

142. *Apologeticum Tractatum Reuerendi admodum, & doctißimi Patris, Stephani Fagundes, Societatis nostræ Theologi, cuius titulus est,* Liberat, *&c. quo hanc propugnat propositionem:* Ex vi Iuris communis, & seclusa omni consuetudine alicuius regni, aut prouinciæ, esse solum culpam venialem, oua edere, & lacticinia, in ieiunijs Quadragesimæ. *quam in lib. 1. quarti præcepti Ecclesiæ, cap. 2. n. 6. & præcipue à num. 10. vsque ad 15. fol. 747. docuerat, ea, qua potuimus, attenta animi consideratione vidimus, & perpendimus, & ab omni theologica censura immunem eam propositionem iudicauimus: atque valde probabilem esse censemus, & manu nostra firmamus: saluo, &c. In Regali Salmanticensi Societatis nostræ Collegio, 6. Ianuarij anno D. 1630.*

Ioannes a Monte Maior, huius Collegij Regalis Rector, & olim Theologiæ Professor.

Lvdovicvs a Roa, olim sacræ Theologiæ in hac Salmanticensi Academia publicus Professor, & in Regio Societatis Collegio studiorum Præfectus.

Ildefonsvs Romero, olim Theologiæ Professor.

Philippvs Claver, olim Theologiæ Professor.

Pvente Hvertado de Mendoza, in Academia Salmanticensi primarius sacræ Theologiæ Professor, pro Regio eiusdem Collegio Censor apud Vallisoletanos Quæsitores, item & in Regio Generalis Inquisitionis Concilio.

Petrvs Pimentel, publicus in Salmanticensi Academia pro Regio Societatis Iesv Collegio Professor; nunc autem in eodem Collegio Sacræ Scripturæ Interpres, Supremi Senatus sanctæ Inquisitionis Qualificator.

Ioannes Martines, in Regio Salmanticensi Societatis Iesv Collegio Theologiæ Professor.

Thomas Rvys, publicus in Salmanticensi Academia pro Regio Societatis Iesv, Theologus Professor.

Ignativs a Zvasti, olim Theologiæ Professor.

Lvpertivs Agayo, in eodem Collegio Scholasticorum Magister.

TESTIMONIO DE ANTONIO RVANO DE MEDRANO, Secretario de la Vniuersidad de Salamanca.

Yo Antonio Ruano de Medrano, Secretario y familiar del santo Officio de la Inquisicion, de la muy insigne Vniuersidad de la ciudad de Salamanca, doy fe, y testimonio verdadero, que los Padres Iuan de Monte Maior, Rector del Collegio Real de la Comp. de Iesv, *desta ciudad, y Pedro Hurtado de Mendoza, Lector de Theologia, y Pedro Pimentel, Lector de Theologia, Religiosos del dicho Collegio, y Doctor Iuan de Balboa, Doctor en Canones, por esta Vniuersidad, y Cathedratico de prima de Canones della, Canonigo Doctoral en la Iglesia cathedral desta ciudad: que en la primera hoja parece estar firmado y dado sus pareceres: y el Doctor Martin de Bonilla, Doctor en Canones, Cathedratico de propriedad de Decreto en ella; que parece tiene firmado y dado su parecer en la hoja segunda: y Doctor Martin lopes de Hontiueros, Doctor en Canones, y Cathedratico de propriedad de Sexto, que da su parecer y firma en la hoja tercera: y Doctor Paulo de Maqueda, Doctor en Leis, Cathedratico de prima, de la misma Facultad, que tiene dado su parecer en la hoja quarta: Doctor Don Gregorio de Portillo, Cathedratico de Vesperas de Leis, y Doctor en la misma Facultad, tiene dado su parecer en la hoja quinta: Licenciado Bernardo de Cerbera, Collegial en el major del Arcobispo de Toledo, Cathedratico de Vesperas de Leis, que tiene dado su parecer y firmado en la hoja sexta: y Licenciado D. Francisco de Sarabia del Collegio Maior de S. Bartholomai, Cathèdratico de Vesperas de Canones, que tiene dado su parecer, y firmado en la hoja septima. Doctor Fernando Arias, Doctor en Canones per esta Vniuersidad, Cathedratico de substituicion de prima en canones, que tiene firmado y dado su parecer en la hoja octaua: y assi mismo en la misma hoja Don Martin de Larriategui, del Collegio Maior de Ouiedo, Cathedratico de Codigo: Don Francisco de Robles, del mismo Collegio de Ouiedo, Cathedratico de Instituta, que tiene dado su parecer en la hoja nona: y el Doctor Fran-* 143.

cisco

cisco Sanches Randoli, Doctor en Canones por esta Vniuersidad, Cathedratico de Clementinas, que tiene dado su parecer en la hoja decima: y el Doctor Francisco Ramos, Doctor en Leis por esta Vniuersidad, y Cathedratico de Volumen, que tiene dado su parecer, y firmado en la hoja once: y el Doctor Pedro de Villalobos, Doctor en Leis por esta Vniuersidad, y Cathedratico de Codigo, que tiene dado su parecer, y firmado en la hoja doce: y Don Andres de Villela, Cathedratico de Canones, que tiene dado su parecer, y firmado en la hoja trece, que todas las dichas hojas estan rubricadas de mi rubrica; todos y cada vno dellas tienen los titulos, y grados arriba referidos, y sus firmas reconosco, y tengo por suias por les auer visto escriuir y firmar muchas vezes. Y para que dello conste de pedimiento de la parte del P. Steuan Fagundes, de la dicha Comp. heze la presente en Salamanca a 16. dias del mes de Enero, de mil y seysientos y treynta annos. Y en fedello lo signe.

En testimonio de verdat,

ANTONIO RVANO DE MEDRANO.

REFERVNTVR APPROBATIONES Doctorum Complutensium.

144. *Opinionem doctissimi Patris, Stephani Fagundes, quod seclusa omni consuetudine, ex sola vi Iuris canonici communis, non sit peccatum lethale, sed veniale tantum, edere oua, & lacticinia in Quadragesima; non solum omni censura temeritatis, scandali, vel malesonantia indignam iudico; verum non improbabilem censeo, quantumcunque contraria, quod negari non potest, communior & probabilior inter Theologos, & Iurisconsultos, saltem vsque ad tempora nostra, habita fuerit. Moueorque non tantum ob rationes, authoritates, & fundamenta, à prædicto Patre, docte, & erudite adducta, sed etiam, quia si res mature consideretur, non reperitur textus, qui communem opinionem clare, imo neque efficaciter probet: textus enim in cap.* Denique. *dist. 4. qui vti vnicus & capitalis reperitur in hac materia, etiamsi admittamus, quod sit* D. *Gregorij Magni, quod non satis constat, vt per Couarruuiam lib. 4. Variar. cap. 20. num. 15. id non videtur probare: nam ratio saltem principalis, qua motus fuit Gregorius Papa ad prohibenda ibi oua, & lacticinia, non fuit, quod ieiunium erat quadragesimale, sed quod lacticinia à carnibus originem trahebant, vt patet ibi:* Par autem est, vt quibus diebus à carnibus animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam carnis trahunt originem, ieiunemus, à lacte, videlicet, caseo, & ouis. *Vim autem huius rationis, & decisionis Gregorianæ extendit D. Hieronymus melius, quam alius (quem ego viderim.) Archidiaconus in dicto cap.* Denique. *à n. 3. Sed sic est quod ratio ista æque procedit in reliquis ieiunijs ab Ecclesia indictis: Ergo id ius etiam statuendum erit ex vulgata Leg.* Illud. *ad Leg. Aquiliam: ac per consequens dicendum, quod solo Iure attento, aut in omnibus ieiunijs ab Ecclesia indictis erit peccatum mortale, quod omnino negat communis opinio: aut non in quadragesimali tantum. Vnde, nisi multum fallor, confunduntur in ista materia à Doctoribus, duæ quæstiones, quæ omnino distingui debent. Vna, de prohibitione, & abstinentia ab lacticiniis, & ouis: & hæc est generalis in omnibus ieiunijs ab Ecclesia indictis; vt cum magno iudicio aduertit Couarruuias dicto cap. 2. num. 15. & probabitur expresse ex dicto cap.* Denique. *cuius hæc est, clara, & intenta decisio: & ei consonare videtur, textus in cap.* Rogationes, *in finalibus verbis de consecrat. dist. 3. vbi dicitur, ysdem met cibis vtendum esse in ieiunijs Rogationum, atque adeo extra Quadragesimam, quibus vtimur in eadem. Alia, vtrum eius transgressio sit lethalis: & hoc, nullus est textus, qui decidat.*

Nec est alicuius considerationis citatus Canon sextæ 145.
Synodi, qui tanti æstimatur ab aliquibus contrariæ partis Authoribus, cum nullam habeat authoritatem ex adductis ab Authore in ista sua Apologia, num. 48 vbi multis Authoribus id probat, quibus addendus est, & præ omnibus videndus, insignis, satisque inter Doctores notus, Doctor Didacus de Vera, patruus meus, Decretorum, & Decretalium primarius quondam in Salmanticensi Academia Professor emeritus, in eleganti sua relectione ad cap. Sextam Synodum. *de consecrat. dist. 3. maxime in assertione secunda, vbi ante Baronium in octauo tomo Annalium ab anno 1681. & Seuerinum Binium in notis ad sextam Synodum, tomo 3. Conciliorum, erudite ostendit, omnes Canones, qui sextæ Synodi in Trullo citantur, non esse sextæ Synodi, vniuersalis, & ab Ecclesia Catholica approbatæ, quæ nullos edidit Canones; sed alterius Pseudosynodi post multos annos, & absque Ecclesiæ Romanæ authoritate, ab aliquibus Orientalibus congregata, & ad imposturam contegendam, sextam quasi partem & appendicem veræ sextæ appellata. Cum ergo pro contraria opinione communi non extet textus aliquis, succedit vulgare iuris axioma, quod erubescimus, cum sine lege loquimur. L.* Illa *C de Collat. imo, vt dicebat Baldus, qui etiam alios allegat, & Iaso ibi, n. 8.* Idem est loqui sine Lege, atque extra Legem. *Remanetque proinde contraria opinio communis, authoritate sola DD. qui eam defendunt, subnixa, quæ nisi tanta esset, non incongrue aptari possint verba Iustiniani in L. 1. §.* Sed neque. *de veter. Iure enucleand.* Sed neque ex multitudine Authorum, sed quod melius, & æquius iudicatore, cum possit forsan vnius, & deterioris sententia, maiores etiam in aliqua parte superare. *Verum ad minus nullus, qui extra passionem sit, desinet agnoscere, quam iniusta, & rigorosa fuerit censura facta contra opinionem Patris, Stephani Fagundes. Et hoc, saluo Ecclesiæ iudicio. Compluti 18. Martij, 1630.*

Licentiatus AVILA DE VERA, Abbas & Cancellarius Complut.

Vidi, & qua potui attentione perlegi sapientissimi, 146.
ac religiosissimi Patris, Stephani Fagundes, Societatis IESV, *Tractatum, cui titulus,* Liberat, *&c. in quo ingenio, & eruditione Lusitaniæ (quod amplius vt subtilissimum appellem,) asserit, non esse peccatum mortiferum, oua edere, & lacticinia, in ieiunijs Quadragesimæ, seclusa regnorum, & prouinciarum consuetudine; si solum Ius commune consideretur: cuius opinioni, quæ præter tanti viri authoritatem, tot doctissimorum Authorum, & Doctorum calculo & suffragio approbatur, libenter subscribo, valdeque probabilem esse censeo. Compluti die 20. mensis Martij, anno 1630.*

IOANNES DE QVARECA YBAR, I. V. Doctor, & apud Complutenses Decreti Cathedræ Antecessor.

Ea diligentia, qua potui, vidi Tractationem hanc 147.
doctissimi & Reuerendissimi Patris, Stephani Fagundes, Lusitani, è Societate IESV: *&, si quid iudicij mei est, censeo Authorem satis egregium suæ doctrinæ & eruditionis specimen præbere in hac sententia, quam accurate, & docte approbat, & adstruit, eamque ab omni censura liberam existimo, licet contrariam opinionem, vt ve-*

riorem, approbo, tantorumque Praeceptorum iudicio libenter assentior. Complut. die 21. Martij, 1630.

Doctor ANDREAS GOMES DE MORA, Sexti Decretalium in Complutensi Vniuersitate Antecessor.

148. PRopositio, vt iacet, eruditissimi Patris, Stephani Fagundes, Societatis IESV, videlicet: Inspecto solo Iure communi Pontificio, seclusa quacumque consuetudine, non est peccatum mortale, sed veniale tantum, ouis vesci, & lacticiniis, in Quadragesima. *(etsi contraria verior sit) nec improbabilis, nec scandalosa, nec censura digna mihi videtur. Subscripsi sub correctione, in hoc maximo Complutensi Collegio, 20. die Martij.*

Doctor D. PETRVS DE GVIROGA, ET MOYA, Rector Collegij, & Vniuersitatis sacrorum Canonum apud Complutenses primarius, &c.

149. A*Ccurate, summaque attentione circa opinionem doctissimi Patris, Stephani Fagundes, de esu ouorum, & lacticiniorum, cogitaui, & eius acutas rationes perpendi, & sub censura sanctae Matris Ecclesiae mihi non solum probabilis illius creditur sententia: verum, nisi propria fallet, Iuri consona, & ab omni scandalo, & temeritate aliena. Dicit enim praefatus Vir, quod seclusa consuetudine, non est lethale, sed tantum veniale, in Quadragesima edere oua, & lacticinia. Ad quod fundamentum plures, quibus subscribo, constituit rationes: praeter eas tamen considero, quod si in praedicto casu incurreretur culpa lethalis, non alia ex causa, nisi quia in Iure positiuo humano, positiue ouorum, & lacticiniorum esus interdiceretur, quod directe (iuxta meum infimum iudicium) nullibi interdicitur: nam, si in aliqua parte interdiceretur, maxime in cap.* Denique *dist. 4. (vt omnes fatentur:) ibi tamen non videtur tale imponi praeceptum: siquidem eodem modo, quo dicitur,* Par esse, vt quibus diebus à carnibus animalium abstinemus, eodem modo ab his, quae sementinam carnis trahunt originem, abstineamus. *dicitur postea, quod permittitur omnibus Christianis in Quadragesima edere pisces: non tamen per hoc sumptuosa piscium maris conuiuia appetant, vt probant verba illa:* Denique, qui à carne abstinet, nequaquam sumptuosiora marinarum belluarum conuiuia praeparet. *Et huiusmodi casus in eodem themate coniungitur cum primo, de non edendis ouis, caseo, & lacte, & ad vtrumque refertur verbum,* Par est: *& nihilominus, quod decisio illa in hoc secundo casu loquatur praeceptiue, nefas est dicere: quin potius certi Iuris est, non praeceptum, sed consilium esse, abstinere in Quadragesima à piscibus marinis: & ita eodem modo tradit consilium, quando dicit, quod in Quadragesima ab his,* quae sementinam à carnibus trahunt originem, abstineamus. *Siquidem vnum determinabile, respiciens plura determinabilia, debet pariformiter terminare.* L. Nam hoc Iure. *ff. de vulgari, & inconsequens, cum consilium non sit obligatorium.* L. Cum Pater. §. Mando, *ff. mandati. necessario videtur dicendum, secundum huius textus dispositionem, ad minus lethaliter non peccare, qui cessante consuetudine, in Quadragesima edit oua, & alia lacticinia.*

Secundò, eandem propter propositionem doctissimi Patris, Stephani Fagundes, confirmo ex eo, quod indubium est, Gratianum, Decreti Compilatorem, non habuisse potestatem condendi iuris, neque sui Decreti librum esse canonicum, quin potius in ipso quamplurima inueniuntur dicta, tam Paleae sui discipuli, quam ex diuersis Sanctorum voluminibus deducta, quae nullam Iuris necessitatem inducunt: &, si quam habent, ex eo est, quia fuere deducta ex diuersis Conciliis, vel Pontificum Decretis. Et ita si textus in dicto cap. Denique. *praeceptiuum sermonem contineret, restat videre, vnde praefata originetur decisio: quod dubium Gratianus soluit in cap.* Quadragesima. *in fine dist. 4. vbi affirmat, deductum esse ex D. Gregorio in Epistola, quam scribit Augustino, Anglorum Episcopo. Et esto, quod hoc sit verum, de quo plurimi dubitant, non est certum, Diuum Gregorium particularem epistolam animo Iuris condendi rescripsisse: alias enim pene omnia, quae, vt vir laudatissimus, & doctissimus, rescripsit, Iuris necessitatem inducerent; quod erroneum est asserere: & ideo dicere tenemur, ibidem, non praecipiendo, sed exhortando locutum fuisse Diuum Gregorium. A quo non abest Gratianus in eodem cap.* Denique. *in fine, vbi, postquam Diuus Gregorius ex sententia Salomonis dicta proposuit, sic inquit:* Nisi forte quis dicat, haec non decernendo esse statuta; sed exhortando conscripta. *Quae verba manifeste insinuant, Diui Gregorij locum, non praeceptum, sed exhortationem, & consilium ad melius esse constituere: & ideo in eius transgressione, saltem lethale peccatum interuenire non potest, vt ait Reuerendissimus Pater, Stephanus Fagundes, cuius dicto annuo. Compluti die 20. Martij.*

Doctor Don GABRIEL DE LA CAMERA, Iuris canonici Primarius, & vnicam Cathedram regens.

CAPVT IV.

Refertur Memoriale petitionis, quod cum iudicio Academiarum Conimbricensis, Eborensis, Salmanticensis, Complutensis, oblatum fuit Tribunali sanctae Inquisitionis, in Regno Castellae; & ipsius Tribunalis Decretum.

SVMMARIVM.

Refertur exemplum Memorialis oblati. à numero 1. vsque ad 4.

Proponuntur rationes contentae in praedicto Memoriali, quod attinet ad doctrinam libri. à numero 5. vsque ad 9.

Proponuntur rationes, quibus in praedicto Memoriali ostenditur doctrina libri non esse detrimentosa redditibus Cruciatae. à num. 10. vsque ad 15.

Committitur Memoriale, & totus liber iterum examinandus cum qualificationibus antiquis, Illustrissimis, ac Reuerendissimis Episcopis Ouietij, & Vigele, & sapientissimo Domino, ac Doctori D. D. Christophoro de Gusmain, Magistro Dominorum Infantium. n. 16.

Refertur vltima sententia, ac Decretum à sanctissima Tribunali sanctae Inquisitionis, circa hanc rem emanans. n. 17.



CVM iudicia, & Approbationes harum quatuor insignium Academiarum habui, statim è Lusitania in Castellam profectus fui, & praedictas Approbationes cum praesenti Memoriali, & petitione, Tribunali sanctae Inquisitionis praesentaui. Quod ita habet: 1.

POTEN-

POTENTISSIME DOMINE.

Pater Stephanus Fagundes, Societatis IESV, Lusitanus è prouincia Portugaliæ, omni animi submissione, & reuerentia vestræ Altitudini, iniustum grauamen, & iniuriam representat, quam sibi, & toti suæ Religioni Frater Basilius de Leone, in Vniuersitate Salmanticensi publicè intulit anno elapso, & iustam querimoniam ante pedes vestræ Altitudinis deponit. Factum & euentum est sequens.

2. Anno 1627. iussit vestra Altitudo suo Edicto auferre quoddam integrum caput ex libro, quem prædictus Pater Stephanus Fagundes scripsit in quinque præcepta sanctæ Matris Ecclesiæ, impresso Lugduni, suspendendo librum, quoadvsque prædictum caput corrigeretur: quod Decretum publicatum fuit in dedecus suæ Religionis, cum magna ipsius authoritatis ignominia, & magno animi sensu, & dolore totius Regni Lusitaniæ, in cuius Vniuersitatibus publicè docetur, & defenditur opinio, quam ipse docuit, & defendit in suo tomo in quinque præcepta sanctæ Matris Ecclesiæ, lib. 1. 4. præcepti, cap. 2. à numero 10. & deinceps, quæ asserit, inspecto solo Iure communi, & seclusa quacumque consuetudine regni, loci, aut prouinciæ, non esse peccatum mortale, sed tantum veniale, edere oua, & lacticinia, in ieiuniis Quadragesimæ: & non solum duæ insignes Vniuersitates Regni Lusitaniæ, Conimbricensis, & Eborensis, eam opinionem tuentur, & docent, sed etiam insigniores Doctores illius Regni, & doctiores Prælati illam tenent, vt constare potest vestræ Altitudini, ex illorum originariis subscriptionibus, quas præsentat.

3. Quod cum ita se habeat, Frater Basilius de Leone absque ordine, & authoritate vestræ Altitudinis, & huius sanctissimi Tribunalis, imo procedendo expressè contra ordinem, & mandatum vestræ Altitudinis; quod nullus sua propria, & particulari authoritate, opiniones audeat qualificare, aut censuram aliquam eis imponere; ipse Magister, Frater Basilius Legionensis, in Academia Salmanticensi occasionem accipiens ex materia quadam extraordinaria Bullæ Cruciatæ, quam ad hunc finem explicandam susceperat, nota illa sua incensione in nostram Societatem, & Authores nostræ Religionis, publicè censuram temeritatis, scandali, singularitatis, malè sonantia, & cohærentia contra dictam opinionem tulit, eamque confirmauit vestra Altitudinis Decreto. Cum tamen vestra Altitudo nonnunquam tali censura, aut qualitate, illius opinionem affecerit: quamuis propter iustas causas decreuerit, vt prædictum caput secundum, donec corrigeretur, non legeretur: quæ omnia prædictus Frater Basilius dixit, fecit, & publicè dictauit, in magnum grauamen totius Regni Lusitaniæ, Prælatorumque, & Doctorum, atque Academiarum illius, qui tam Catholici, & obidientes sunt, & semper fuerunt sanctæ Ecclesiæ Romanæ; & in magnam iniuriam & despectum Religionis nostræ Societatis IESV, quæ suis assiduis laboribus, doctrina, & libris, vbique sanctæ Ecclesiæ catholicæ, tam inter Hæreticos & Gentiles vtriusque Indiæ, Orientalis, & Occidentalis, quam inter Catholicos conatur seruire: quibus ipse iniuriis permotus, ac iuste prouocatus, coactus fuit hanc Informationem typis mandare, eamque subscriptioni quatuor insigniorum totius Hispaniæ Academiarum, Conimbricensis, Eborensis, Salmanticensis, & Complutensis confirmare, in qua euidenter (vt videtur) satisfecit improbabilitati suæ doctrinæ, quæ ei à Fratre Basilio imponebatur.

4. Et vero, quia ipse se vult ostendere obedientissimum, & humiliter subiectum huic Tribunali rectissimo vestræ Altitudinis, à vestra Altitudine humiliter postulat, vt visa hac sua satisfactione, & iusta querimonia, benigno fauore causam sui libri contra prædictam censuram, & voluntariam criminationem immeritò à Fratre Basilio pronunciatam prosequi, & amplecti dignetur, librumque illius immunem ab ea censura per publicam schedulam declarare, & pronunciare, qua publicè Orbi declaretur, prædictum librum, non causa doctrinæ, sed ob iustissimas alias causas, quas spectato tempore, conuenientes visæ fuerunt, fuisse detentum. Et in ordine ad hunc finem has rationes vestræ Altitudini præsentat.

5. Prima, quia illius liber approbatus fuit à supremo Concilio sanctæ Inquisitionis Lusitaniæ, & reuisus ab vno ex prædicto Concilio supremo, nempe, à sapientissimo Patre, Francisco de Gouuea, vt constat ex illius approbatione; & videtur, quod materia æqua grauaminis illi sanctissimo Tribunali in eo præbeatur, dum id, quod tam maturo consilio approbauit, in oculis illius tam liberè reprobatur.

6. Secunda, quia authoritati tot, tantorumque, ac tam grauium, & illustrium Prælatorum, illius Regni Lusitaniæ, & (quod caput est) authoritati, iudicio, & sententiæ Doctorum quatuor Academiarum, tam grauium, & insignium, ac Salmanticensis, Conimbricensis, Eborensis, & Complutensis, quæ huic opinioni subscripserunt, videtur non exiguus respectus habendus in materia præcipuè literarum, & textuum sacrorum Canonum intellectu, in quo Iuris canonici periti primum habent votum, ac locum.

7. Tertia, quia liber ille vbique terrarum venditur, & magno applausu recipitur, in multis partibus, in quibus sunt etiam Tribunalia sanctæ Inquisitionis, ad quæ zelus doctrinæ librorum, & puritatis fidei spectat; & nihil emendandum in eo adnotarunt: & Bibliopola iam de alia impressione tractat, eo quod prima iam sit absumpta, exceptis iis, qui cum magno illius damno, in Hispania retinentur.

8. Quarta, quia Author illius est vir doctus, & à multis locis, tam Hispaniæ, quam Lusitaniæ consulitur; & actu habet in prælo duos tomos, super decem diuina præcepta Decalogi; & parat ad prælum alterum tomum de Iustitia; & tam grauis, acerba, & acris censura multum de illius fama & bona æstimatione suorum librorum detrahit in damnum Reipublicæ Christianæ, cui vult suis libris prodesse, & inseruire.

Quinta, quia id cedit in magnum damnum impressoris, qui magnam copiam librorum miserat in Hispaniam, vbi adhuc sunt retenti: temporis enim diuturnitate muribus, tineis, & blattis, corroduntur: & vestra Altitudo, qui tot, ac tanta beneficia omnibus elargitur, permittere non debet, vt ille tam ingens, & irreparabile damnum accipiat, sine causa aliqua, quæ ex parte illius processerit.

9. Sexta, quia ex clementia vestræ Altitudinis, & istius sancti Tribunalis, videtur posse illum hoc beneficium sperare: videtur enim iam sufficienter demonstratio illa, ac significatio vexationis, quam adhuc passus est: & quemadmodum ad hoc sanctum Tribunal spectat punitio delinquentium; ita ei incumbit defensio innocentium, præsertim si extranei sint, & humiliter vestræ Altitudini subijciantur.

Et hoc quantum ad doctrinam, cui vestra Altitudo magis attendit: sed, quia ad illius notitiam peruenit, non exiguam causam retentionis libri ipsius, emolumentum redditum sanctæ Cruciatæ fuisse, quamuis hoc huius sancti Tribunalis proprium non sit, ad quod solum materia fidei, & doctrinæ, ac bonorum morum spectant, & materiæ redditum in eo non tractantur: respectu horum sanctæ Cruciatæ redditum, rationes suas prosequitur, & in ordine ad illas, quæ iam relatæ sunt, septimam apponit.

10. Septima, quia propositio, & doctrina libri, non est detrimentosa redditibus sanctæ Cruciatæ: quia ipse Author in suo libro 1. quarti præcepti, cap. 2. num. 14. statuit

Peccatum mortale esse, oua edere, & lacticinia in ieiuniis Quadragesima, in locis, & prouincijs, in quibus consuetudo illorum esum mortaliter illicitum fecit, ib: in ijs locis, in quibus consuetudo est, hæc non edere, ad mortale obligat: certum est enim mortale peccatum esse, non abstinere ab ouis, & lacticinijs, quando ea solum per consuetudinem sunt prohibita, nisi legitima causa excuset. *Et vero cum in pluribus partibus Castellæ vigeat legitima consuetudo, hæc non edendi, obligans sub mortali, clarum est, ibi sine bulla Cruciatæ, non posse hæc licite, & absque violatione ieiunij edi.*

Octaua, quia Authoris liber non est scriptus vulgari
11. *idiomate, sed Latino sermone, & ideo impedimentum esse non potest redditibus sanctæ Cruciatæ: quia populus linguam Latinam non callet: docti vero satis percipiunt, & intelligunt, consuetudinem eos sub mortali obligare, quamuis tu illos sub veniali tantum obliget.*

12. *Nona, quia in Episcopatu Placentino, in Castella, consuetudo harum rerum esum licitum fecit in ieiuniis Quadragesima, & post publicationem Cruciatæ statim declaratur populo, è pulpitis, & locis editis, non egere Cruciata ad hanc rem. In Episcopatu etiam Ouetensi eadem consuetudo id licitum fecit: & idem in Diœcesi Legionensi: at vero in Diœcesi Pacensi, & Oxomensi consuetudo etiam fecit licitum vsum ouorum, non lacticiniorum; aut lacticiniorum, non ouorum in eadem Quadragesima: & tamen in ijs Episcopatibus non sunt minores redditus Cruciatæ, quam in alijs, illis æqualibus: non est ergo hoc impedimentum prædictis redditibus Cruciatæ.*

13. *Decima, quia in omni Lusitania, vbi opinio prædicti Authoris communiter inualuit, docetur, & sequitur; redditus Cruciatæ ad summam attingunt nonaginta millia ducatorum, & eo forte amplius, & non sunt tot redditus illius in Castella, spectata ea parte, quæ sit æqualis Lusitaniæ, vt experientia facile patebit.*

14. *Vndecima, quia Confessores gubernari non possunt in confessionibus sine Bulla Cruciata, propter casus reseruatos, dispensationes, & votorum commutationes, iuramentorumque. & propter Bullas compositionis, & Indulgentias: & ideo priusquam pœnitentes absoluant, illos interrogant, an Bullas Cruciatæ habeant, & illis præcipiunt, vt illas abeant quæsituri, & deinde ad confessiones accedant: & ipsi pœnitentes, antequam ad confessionem accedant, ipsam Cruciatam, propter hæc, & propter Indulgentias, sine respectu ad ouorum, & lacticiniorum esum, assumunt.*

15. *Quamobrem, cum huiusmodi doctrina approbata, & subscripta sit à quatuor insignioribus Hispaniarum Academijs, & nullum afferat detrimentum redditibus sanctæ Cruciatæ, & indigna, atque immunis sit Fratris Basilij censura, iuxta iudicium prædictarum Academiarum, & multorum Prælatorum Lusitaniæ; imo valde probabilis sit; enixe, & instanter efflagitat prædictus Pater Stephanus Fagundes, Lusitanus, à vestra Altitudine, vt Decreto suo, & scedula decernat prædictum suum librum in quinque præcepta sanctæ Matris Ecclesiæ, liberum esse, & semper fuisse omni censura theologica, & non fuisse hucusque detentum causa doctrinæ, sed ob alias iustas causas, quæ iuxta cursum rerum, tunc temporis visa sunt iusta, & cessarunt. Et recipiet iustitiam, & beneficium.*

16. Viso, & inspecto hoc Memoriali in sacro Tribunali sanctæ Inquisitionis, & discussis hinc inde rationibus, sanctissimum illud Tribunal, maturo consilio, de re deliberauit, & tandem decreuit, & statuit, vt hoc Memoriale, & defensio pro hac opinione à quatuor Vniuersitatibus Hispaniæ subscripta, simul cum Capitulo prædicti libri, de quo erat quæstio, & qualificationes antiquæ denuo viderentur, remque totam decernendam commisit tribus viris doctissimis, & literatissimis, vt sec etis sententijs Tribunal illud rectissimum informarent. Ij fuerunt Illustrissimus D. D. Ioannes de Pereda, Episcopus Ouetensis, Doctor in sacra Theologia, in insigni Academia Complutensi, & primarius olim primæ Cathedræ Professor, vir plane acutissimo ingenio, & mirabili iudicij comprehensione præstans, quem semper colam, & ob illius eruditionem singularem nunquam satis prædicabo: & Reuerendissimus, atque Illustrissimus D. D. Antonius Perez, Episcopus de Vergel, Doctor Salmanticensis sacræ Theologiæ, Ordinis Illustrissimæ Familiæ D. Benedicti, cuius ingenij lauream, laurea illa Salmanticensis, & reliqua huius Illustrissimi Prælati Opera testantur, maturissimus senex, & sedati, sententiosique iudicij: tertius fuit, sapientissimus Dominus, & subtilissimus Doctor, D. Christophorus de Gusmain & Sanctoya, Doctor sacræ Theologiæ Complutensis, electus ex millibus Hispaniæ Doctoribus, ad præclarissimum illud munus & magisterium Serenissimi Principis Ferdinandi Infantis Cardinalis, inuictissimi Hispaniarum Regis Fratris: qui rem diligentissime discusserunt, & occultis sententijs Tribunal sanctæ Inquisitionis informarunt, ex quorum informatione, à sanctissimo illo Senatu hæc vltima emanauit sententia. Hoc Decretum, quod, vt mihi à Licentiato Sebastiano de Huerta traditum fuit, ijsdem verbis, Castellano idiomate appono: & vt omnibus, qui eam linguam ignorant, eius intellectus pateat, illud postea Latino idiomate vertam.

DECRETVM VLTIMVM ET SENtentia supremi Concilij sanctæ Inquisitionis Hispaniæ.

Yo el Licenciado Sebastian de Huerta, Secretario de su Mageslad, y del Consejo de la sancta Inquisicion, certifico, que in diez y ocho dias deste presente mes de la fecha desta, por el Illustrissimo Senhor Cardinal, y Senhores del dicho Consejo, se proueyo el aucto del tenor seguente.

En la Villa de Madrid, a diez, y ocho dias del mes de Abril de mil, y seiscientos y trinta annos. Auiendose visto en presencia del Illustrissimo Senhor Cardinal, Inquisidor General, y Senhores del Consejo, de su Magesta d, de la sancta General Inquisicion, el libro intitulado, Tractatus in quinque præcepta Ecclesiæ, Authore Patre Stephano Fagundes è Societate IESV Theologo Lusitano Viannensi. &c. tomus vnicus impressus Lugduni sumptibus Iacobi Cardon, & Petri Cauellat. M. DC. XXVI. *y todo lo actuado sobre las propositiones delatadas, y los pareceres dados por differentes Vniuersidades, y personas doctas, con vista de tota la contentura del libro en quanto à la doctrina del, y el defensorio de la parte, y las vltimas qualificationes dadas sobre d. do. Mandaron que el dicho libro pueda correr, y corra libremente sin embargos de los edictos, y prohibicion del sancto Officio, y se le despache testimonio dello al dicho Padre Esteuan Fagundes, y lo sennalaron. Su S. Illustrissima, y Senhores de Consejo, Don Petro Cifuentes de Loarte, Licenciado; D. Martin Carillo y Aldrete, Licenciado; D. Gonsalo Chacon, Doctor; D. Pedro Pachecho, Licenciado; D. Diego Sarrano de Sylua; el Licenciado Sebastian de Huerta, Secretario del Rey, N. Senhor, y del Consejo, como toto lo sucese dicho parece por los papeles del dicho Consejo, que originalmente estan en mi Secretaria, à qui me remito, y para que dello conste en el complimiento delo en el dicho aucto contenido di la presente firmada de mi nombre, y sellado*

y sellado con el sello de la General Inquisicion. En Madrid, à 19. dias del mes de April 1630.

El Licenciado SEBASTIAN DE HUERTA, Secretario del Rey N. Senhor, y del Consejo.

Latinè ita redditur.

EGo Licentiarius Sebastianus de Huerta, Secretarius Regiæ Maiestatis, & Concilij S. Generalis Inquisitionis, certifico, ac fidē facio, quod in decimooctauo die huius præsentis mensis factura huius testimonij per illustriss. D. Cardinal. Inquisitorem General & Dominos eiusdem Concilij, prouisum fuit circa actum tenoris sequentis.

In Villa Madritij 18. die mensis April. 1630. visus fuit coram Illustrissimo D. Cardinali Inquisitore Generali, & Dominis Concilij Regiæ Maiestatis sanctæ Inquisitionis generalis, liber, cuius titulus est, *Tractatus in quinque Ecclesiæ præcepta, Authore Patre Stephano Fagundes, è Societate* IESV, *Theologo Lusitano Viannensi, &c tomus vnicus, impressus Lugduni sumptibus Iacobi Cardon, & Petri Cauellat. M. DC. XXVI.* & totum id, quod actu actum erat super propositiones delatas: visa etiam & inspecta fuerunt iudicia, sententiæ, & approbationes diuersarum Vniuersitatum, & doctarum Personarum, cum inspectione totius contexturæ ipsius libri, quantum attinet ad illius doctrinam, & defensorium partis, & vltimæ qualificationes datæ super totum. Mandarunt vt prædictus liber, libere & in offense currat, non obstantibus Edictis, & prohibitione sancti Officij, & vt testimonium publicum eius rei prædicto Patri Stephano Fagundes detur, & huiusmodi decretum firmarunt sua illustrissima Dominatio, & Domini Regiæ Maiestatis, & Concilij, D. Petrus Cifontes de Loarte, Licentiatus; D. Martinus Carrillo, & Aldrete, Licentiatus; D. Gondicalus Chacon, Doctor; D. Petrus Pacheco, Licentiatus; D. Didacus Serranus à Sylua; Licentiatus Sebastianus de Huerta Secretarius Regiæ Maiestatis, & Concilij, vt constat de toto id, quod prædictum est, ex Actis prædicti Concilij, quæ originaliter apud me sunt in meo publico scrinio, ad quæ me remitto: & vt de hoc constet in complementum rei, quæ in prædicto Actu continetur, præsens testimonium dedi subscriptum, & firmatum meo nomine, & sigillo Inquisitionis generalis obsignatum. Madritij decimonono die mensis Aprilis, anni millesimi sexcentesimi trigesimi.

Ego Licentiatus SEBASTIANVS DE HVERTA, *Secretarius Regiæ Maiestatis, & Concilij.*

CAPVT V.

Vtrum ex vi Iuris communis, & seclusa quacumque consuetudine regni, loci, aut prouinciæ, oua, & lacticinia sint prohibita sub peccato mortali, in ieiuniis Quadragesimæ, & in aliis ieiuniis extra illam, & in diebus Veneris, & Sabbathis totius anni.

SVMMARIVM.

Refertur prima opinio asserens, ex vi Iuris communis, stando in sola, & præcisa illius dispositione, & seclusa consuetudine regni, loci, aut prouinciæ, esse peccatum mortale comedere oua, & lacticinia in ieiuniis Quadragesimæ, à n. 1. vsque ad 6.

Ex hac opinione infertur primo, toties quem peccare mortaliter, & ieiunium infringere, quoties in diebus ieiunij Quadragesimæ oua, & lacticinia comedit. n. 7.

Sequitur secundò, neminem posse absque Bulla Cruciatæ, quamuis sexagenarius sit, oua edere, & lacticinia in ieiuniis Quadragesimæ. n. 8.

Sequitur tertiò, pueros ante septimum annum posse illa edere. n. 9.

Sequitur quartò, peccatum esse mortiferum vesci ouis simul, & piscibus, & lacticiniis in ieiuniis Quadragesimæ n. 10.

Refertur secunda sententia, asserens, stando in sola, & præcisa Iuris communis dispositione, oua edere, & lacticinia in Quadragesimæ ieiuniis, non esse peccatum mortale, & illorum esu ieiunium non infringi. à num. 11. vsque ad 21.

Explicatur Canon sexta Synodi Trullanæ. n. 18.

Iudicium Authoris circa has opiniones. n. 22.

Consuetudo habet vim Legis: & sicut Superior per Legem, & præcepta potest ob iustas causas, & fines eam materiam, quæ est leuis & venialis, sub graui & mortali præcepto prohibere, ita & consuetud. à n. 24. & à §. Inferes.

Referuntur sequelæ, quæ ex hac opinione sequuntur. Quæritur, an Episcopi possint oua, & lacticinia sub mortali prohibere. n. 26.

An illi, qui non tenentur ieiunare in Quadragesima, teneantur ab ouis, & lacticiniis abstinere n. 28.

An ille, cui per priuilegium conceditur vesci oua, & lacticinia, possit simul vesci piscibus. n. 29. & 30.

An in ieiunijs extra Quadragesimam, & in diebus Veneris, & Sabbathis totius anni licite vesci possint oua, & lacticinia. n. 31. 32. & 33.

An in diebus Dominicis Quadragesimæ à n. 34.

CIRCA quæstionem tactam in titulo, duæ sunt opiniones. Prima 1.
docet, mortiferum peccatum esse oua edere, & lacticinia in ieiunijs Quadragesimæ, loquendo præcise ex vi Iuris communis, & seclusa quacunque consuetudine, regni, loci, aut prouinciæ, & his ieiunate fideles non posse, & infringi ieiunij præceptum, sicut infringitur esu carnium. Hanc opinionem defendunt acerrime Doctores Castellani. Citant in primis pro illa D. Thomam 2. 2. q. 147. art. 8. ad 3. sed Diuus Thomas ibi solum hæc verba dicit: *Ad tertium dicendum, quod oua, & lacticinia ieiunantibus interdicuntur, in quantum sunt ex animalibus exorta, carnes habentibus; vnde carnes principalius interdicuntur, quam oua, & lacticinia: & ideo in quolibet ieiunio interdicitur esus carnium; in ieiunio autem quadragesimali interdicuntur vniuersaliter, etiam oua & lacticinia.* Vbi non dicit expresse, interdici oua, & lacticinia, sub mortali: sed dicit, carnes interdici principalius, hoc est, sub mortali: oua autem, & lacticinia consequenter, & minus principaliter. In quo videtur sentire diuerso modo, & pœna, prohiberi in Iure in ieiuniis Quadragesimæ, oua, & lacticinia, quam

carnes: quia illæ prohibentur directe, & principaliter, & sub peccato mortali: ista indirecte & minus principaliter, & sub peccato veniali, quatenus sunt dependentiæ, & circumstantiæ carnium, quæ cognationem cum carnibus habent.

2. Citant Caietanum in Summa, verbo, *Ieiunium*, in principio. Sed Caietanus ibi ita ait, *Exigit quippe omne ieiunium abstinentiam ab esu carnium: sed intra Quadragesimam, & alia ieiunia, hoc interest, quod Quadragesima etiam requirit abstinentiam ab ouis, & lacticiniis, vbi consuetudo est: vbi autem consuetudo non est, non licet.* Hæc sunt verba Caietani, in quibus Caietanus solum dicit, ex consuetudine posse esse peccatum mortale: ex Iure vero id non licere, & non dicit, id non licere sub peccato mortali: ac proinde potest intelligi de peccato veniali. Et Paulus Palatius, Doctor Salmanticensis, & Professor Theologiæ, & sacræ Scripturæ Interpres in Academia Conimbricensi, in Annotationibus, quas ad Summam Caietani, Hispano idiomate edidit, illud, *Non licet*, Caietani, explicauit de peccato veniali, non mortali. Verba Palatij hæc sunt: *Quanto al primero capitolo del Author*, (hoc est, Caietani) *donde dice, que adonde no ay vso de comer cosas de leche y guebos, no es licito comerlas en los dias de ayuno; hase de entender, que comer estas cosas, sera peccado, pero no mortal.* Hæc ille. Vbi clare dicit, illicitum esse ex Iure ista edere in ieiunijs Quadragesimæ, non tamen sub mortali, sed sub veniali; & hanc esse mentem Caietani. Sed Doctores aduersarij, omnes illos Doctores, qui asserunt, talem esum esse illicitum ex vi Iuris communis explicant: esse illicitum sub mortali: cum tamen hoc verbum, *illicitum*, ad mortale, & veniale accommodari possit: quando aliunde non constat de voluntate Legislatoris, aut materiæ grauitate.

3. Citant etiam pro se ipsum Caietanum 2. 2. *q.* 147. *art.* 3. in illis verbis: *Ad quæstionem respondetur, quod soluens ieiunium sine causa rationabili, peccat mortaliter: quoniam talis, & transgreditur modum abstinentiæ statum ab Ecclesia, & transgreditur sic, vt impediat Legislatorem à fine intento, ab ipso homine per ieiunare.* Et aiunt, hanc ipsam rationem impedimenti talis finis concurrere in eo, qui oua, & lacticinia edit in ieiunijs Quadragesimæ, absque licentia, aut necessitate: quia transgreditur statutum Ecclesiæ, & intentum Legislatoris, qui præcipit abstinentiam ouorum, & lacticiniorum, in ieiuniis Quadragesimæ, eo quod originem trahunt à carnibus. At in hoc dispar ratio est; quia Ecclesia non eodem modo, nec eadem pœna peccati mortalis præcipit abstinentiam ab ouis, & lacticinijs: sed diuerso modo, & pœna, vt patebit infra: illam enim abstinentiam carnium præcipit directe, & principaliter, & sub mortali: istam sub veniali indirecte, & minus principaliter, tanquam dependentem circumstantiam, quæ promanat à carnibus.

4. Citant Syluestrum in verbo, *Ieiunium*, numero 15. At Syluester ibi, hæc tantum verba ait: *Esus carnium in omni ecclesiastico ieiunio interdictus est, & illud frangit secundum omnes; esus vero ouorum, & lacticiniorum, interdictus est in Quadragesima, in cap.* Denique. *dist.* 4. *non autem in aliis.* Quibus verbis tantum dicit, oua & lacticinia interdicta esse in Quadragesima; & non explicat, an interdicta sint sub mortali, an sub veniali; nec dicit illorum esum ieiunium infringere, sicut dixerat de esu carnium: forte quia de hoc dubitauit. Et tandem sequitur opinionem Diui Thomæ iam à nobis explicatam, *n.* 1. *& in numero* 17. quo loco aduersarij illum etiam pro se allegant: refert opinionem Archidiaconi, tenentem peccatum esse mortale illa edere, & nihil de suo dicit.

5. Hanc tamen opinionem, quæ asserit, peccatum esse mortiferum, ex vi Iuris, huiusmodi oua, & lacticinia edere in quadragesimalibus ieiunijs, expresse tenent Innocentius *in Rub. de obseruation. ieiun. num.* 5. Thomas Sanches *lib.* 4. *Decalogi, cap.* 11. *num.* 53. Ioannes Sanches *disp.* 51. *num.* 27. Toletus *in Summa, lib.* 6, *cap.* 3. *num.* 2. *&* 3. Nauarrus *in Summa Lat. cap.* 21. *num.* 22. Rodrigues *in Summa, tom.* 1. *cap.* 23. *& in explicatione* Bullæ Cruciatæ, §. 6. *num.* 2. Azor *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 10. *q.* 1. Henriques *lib.* 7. *de indulgent. cap.* 13. §. 8. Beia 1. *p. decisionum, casu* 47. *fol.* 207. Ludouicus Lopes 2. *p. instructor. cap.* 212. *fol.* 715. Bonacina *tomo* 2. *Summæ, disp. vltima de præceptis Ecclesiæ, quæst.* 1. *puncto* 2. *numero* 2. *pag.* 318. Niecia *in Summa, titulo* 17. *fol.* 20. & Villalobos *tractatu* 23. *difficultate* 8. *numero* 1. & videtur tenere Illustrissimus Dominus, D. Rodericus à Cunha, Episcopus olim Portuensis, meritissimus, nunc Archiepiscopus Bracharensium, & Hispaniarum Primas dignissimus *in explicat. Iubilæi, cap.* 9. *numero* 9. *pag.* 90. vbi asserit, posse licitè, & absque peccato mortali, edi oua, & lacticinia in ieiunijs Iubilæi, quamuis sit tempus Quadragesimæ, in partibus, & locis, in quibus consuetudo id licitum fecit: quasi diceret, secus in illis, in quibus non datur talis consuetudo, & statur Iuri communi: & alij plures, quos citat Ioannes Sanches allegatus. Fundamenta huius sententiæ desumuntur ex Iure, & ex ratione. Ex Iure primò: quia *in cap. Denique. dist.* 4. interdicuntur oua, & lacticinia in ieiunijs Quadragesimæ, æque atque prohibentur carnes: ergo si peccatum est mortiferum edere tunc carnes, etiam erit edere oua, & lacticinia. Antecedens probatur: quia ibi consultus fuit Papa, D. Gregorius Magnus, ab Augustino, Anglorum Episcopo, an ab ouis, & lacticiniis abstinendum esset in ieiunijs Quadragesimæ, sicut & à carnibus: & respondit Papa affirmatiue in hæc verba: *Par autem est, vt quibus diebus à carnibus animalium abstinemus; ab omnibus quoque, quæ sementinam à carnibus trahunt originem, ieiunemus, à lacte, videlicet, caseo, & ouis.* Vbi verbum illud, *Par*, parem obligationem in vtraque abstinentia inducit, & sic semper illud intellexerunt Doctores antiqui. Quod ex eo conuincitur: quia tota ratio textus, ob quam oua, & lacticinia inibi vetantur, vt in illo assignauit D. Gregorius Papa, est, quia ista hæc oua, scilicet, & lacticinia originem trahunt à carnibus; imo oua, vt ait D. Hieronymus contra Iouinianum, nihil aliud sunt, quam carnes liquidæ; lac, & lacticinia, quam sanguis decoctus, & colore mutatus. Quare eodem præcepto, quo prohibentur carnes, prohibentur etiam oua, & lacticinia.

Innocentius. Thomas Sanches. Ioannes Sanches. Toletus. Nauarrus. Rodrigues. Azor. Henriques. Beia. Lopes. Bonacina. Niecia. Villalobos.

Secundò, quia id constat expresse ex Canone 56. sextæ Synodi Trullanæ: in eo enim sub mortali culpa prohibentur oua & lacticinia, in Quadragesima, ibi: *Visum est, vt omnis Dei Ecclesia, quæ est in vniuerso terrarum orbe, vnum ordinem sequens, ieiunium perficiat, & abstineat, sicut ab omni mactabili, sic*

ab

ab ouis, & caseo, quæ quidem sunt fructus, & fœtus eorum, à quibus abstinemus: alioqui, si sint Clerici, deponantur; si autem laici segregentur. Vbi pœna grauis, tam depositionis Clericorum, quam excommunicationis laicorum; arguit culpam mortalem: ergo abstinentia ab ouis & lacticinijs, ex vi Iuris istius Canonis, obligat ad culpam lethalem.

6. Probant rationibus. Primo, quia materia est grauis: ergo obligat sub mortali. Et hic est communis sensus, & consensus fidelium totius orbis: nam omnes se accusant in Quadragesima de esu ouorum, & lacticiniorum, tanquam de mortali; & omnes cogitant se frangere præceptum ieiunij, si hæc comedant in Quadragesima, & scandalizantur de illis, quos vident illa comedere, quia putant illos ieiunium infringere: ergo obligat hæc abstinentia ad peccatum mortale. Secundo, quia, si hæc materia non esset grauis, nec abstinentia ouorum, & lacticiniorum esset præcepta in Iure sub mortali, in prædictis ieiunijs Quadragesimæ; sequeretur euidenter, nec etiam consuetudinem posse efficere illorum esum illicitum sub mortali in ijsdem ieiunijs: nam consuetudo non potest efficere, vt res de se leuis, & venialis, sit mortalis: quia consuetudo prohibet rem iuxta naturalem grauitatem illius: hæc autem sequela est falsissima: nam in tota fere Italia, & in pluribus partibus vtriusque Castellæ consuetudo habet, vt hic esus sub mortali sit illicitus, vt supra probauimus. Tertiò, quia Summus Pontifex in Bulla Cruciatæ dispensat in Quadragesima in esu ouorũ, & lacticiniorũ: ergo signũ est, id esse mortiferũ peccatum.

7. Ex hac opinione sequitur primo, vt toties quis peccet mortaliter, & ieiunium infringat, quoties in Quadragesimæ ieiunijs oua comedit, & lacticinia: est enim hoc præceptum negatiuum, quoad abstinentiam carnium, & ouorum, & lacticiniorum tantummodo; non quoad alios cibos, qui nec oua, nec carnes sunt: & admisso hoc peccato; si postea prædictus cibus, vel alius, qui hic ouorum, aut carnium non sit, sumatur, amplius non peccat. Ita docet Toletus *lib. 6. Summa, cap. 3. n. 5.* Ioannes Sanchez *disp. 51. n. 26. & 27.* & Thomas Sanchez *lib. 4. Summa, cap. 1. num. 42.*

8. Sequitur secundò, neminem posse, quamuis sexagenarius sit, absque Bulla Cruciatæ edere oua, & lacticinia in Quadragesima; quia præceptum de illorum abstinentia contentum *in prædicto capite, Denique. dist.* 4. comprehendit absolute omnes, qui obligari possunt præceptis Ecclesiæ; huiusmodi autem sexagenarij illis obligari possunt, & de facto obligantur, vt præcepto Missæ, Confessionis, & Communionis, & decimarum: nam, quamuis illi non teneantur forte ieiunare, tenentur abstinere ab ouis, & lacticinijs, sicut & à carnibus: quia oua, & lacticinia non prohibentur in Quadragesima, eo quod dies illius, dies ieiunij sint; sed, quia in illis abstinentia à carnibus præcipitur; & prohibetur illarum esus, & esus earum rerum, quæ originem à carnibus trahunt. Ita docet Thomas Sanchez *lib. 4. Decalogi, c. 11. n. 53.* & Ioannes Sanchez *disp. 51. n. 28.* Alias enim licitum esset illis, qui nondum vigesimum primum ætatis annum habent, vesci ouis & lacticinijs, absque Bulla, & Priuilegio, in Quadragesima, eo quod illi non comprehendantur in præcepto: quod falsum omnino est: nam post septennium tenentur ab illis, sicut & à carnibus, abstinere.

9. Sequitur tertiò, pueris ante septennium expletum, licitum esse edere oua, & lacticinia, etiam in Quadragesima, & in omnibus diebus Veneris, & Sabbathis totius anni, quamuis Bullam non habeant: quia in ea ætate præceptis Ecclesiæ non obligantur. Ita docet Caiet. *2.2. q. 147. art. 8. dubio 1. ad finem.* Azor *tomo 1. lib. 7. c. 10.* Pedraza *in 3. præcepto, §. 14. in fine.* Antonius Gomes *in Bulla Cruciatæ, clausula 7. n. 16. & 17.* Angles *1. p. q. 6. de ieiunio, difficultate 6.* Thomas Sanchez *lib. 1. Decalogi, cap. 12. num. 9.* Ioannes Sanchez *disp. 51. num. 31.* Vnde non placet Corduba *in Summa, q. 60.* quem sequitur Lud. Lopes *2. p. Instruct. cap. 212. fol. 720.* asserens, non licere pueris ante septimum annum vesci carnibus in diebus prohibitis, vbi consuetudo est, quod populus ab illis abstineat, quasi ad id ex sola consuetudine teneantur, non ex Ecclesiæ præcepto. Nam, cum consuetudo vim Legis & præcepti habeat, si illi in ea ætate præcepto Ecclesiæ non obligantur, nec etiam obligantur ex consuetudine. Quamobrem bene docet Sanches *lib. 1. Decalogi, c. 12. n. 9. in fine,* huiusmodi pueros in ea ætate nulla consuetudine obligari, sicut nec etiam præceptis obligantur; quamuis doli capaces sint: quia communiter loquendo in ea ætate lumen rationis perfectum, & capax præcepti positiui non habent; & per accidés est, quod in vno, vel altero puero vsus rationis præfulgeat: nã ad ea, quæ frequentius accidunt, Leges humanæ adaptantur. l. *Nam ad ea. ff. de Legib.* Et ita docet Ioannes Sanches *disp. 51. n. 31.*

Sequitur quartò, peccatum esse mortiferum, vesci ouis simul; piscibus, & lacticinijs in diebus ieiunij Quadragesimæ, vt ex dictis patet. Hæc est opinio Doctorum Hispanorum. Hæc illius fundamenta, & corollaria.

Secunda opinio, quæ communissima est apud Lusitanos, docet, ex vi Iuris communis, & seclusa quacumq consuetudine alicuius loci, aut prouinciæ, non esse plusquam veniale, hæc oua, & lacticinia edere in ieiunijs Quadragesimæ; & consequenter illorum esu præceptum ieiunij non infringi, attenta sola Iuris communis dispositione. Hanc opinionem tenent DD. omnes vtriusque Academiæ, Conimbricensis, & Eborensis, quos consului; vt ex eorum subscriptionibus patet, *ex cap. 3.* & quod caput est, tenent etiam omnes Cathedratici vtriusque Iuris, & grauissimi Theologi Salmanticenses, quos etiã consului. Et licet antea contrarium tenuerint: tamen; visis meis fundamentis, & rationibus, huic opinioni libenter subscripserunt, eamque multi probabilem; alij valde probabilem esse dixerunt. Tenent denique Doctores Complutenses, qui similiter huic opinioni postea accesserunt, quorum originarias subscriptiones apud me habeo.

Ex antiquis Doctoribus, & ex ijs, qui labores suos typis mandarunt, tenent hanc opinionẽ Dominicus *in cap. Denique. dist. 4. in compendio, & n. 5.* vbi ita ait: *Dictio, par, non stat similitudinarie, sed ponitur pro æquo, & iusto.* Quasi diceret: Illa dictio *par,* quæ inuenitur *in cap. Denique. dist.* 4. ex qua multi deducunt, pari pœna peccati mortalis puniri in Iure communi, *in eodem cap. Denique.* esum ouorum, & lacticiniorum, atque esum carnium, non inducit æqualem, & parem prohibitionem, aut pœnam peccati mortalis in carnibus, & in ouis, & in lacticinijs, sed ponitur pro æquo, & iusto. Et Paulus Palatius, Doctor Salmanticensis, in Annotationibus, quas scripsit super Summam Caietani, Hispano sermone impressis, Eboræ, iussu

Sere-

Serenissimi Principis, & Cardinalis Henrici, postea Regis Lusitaniæ, anno Domini 1557. *verbo, Ayuno, cap. 4. fol. 238.* ibi: *Quanto al primer capitulo del Author*; hoc est, Caietani, quem commentabatur, *donde dize, que donde no ay vso de comer cosas de leche, y guebos, no es licito comerlos, los dias de ayuno; hase de entender, que comer estas cosas sera peccado, però no mortal.* Hæc ille. Caietanus autem ibi in primo capite suæ Summæ loquitur de ieiunijs Quadragesimæ, ex vi Iuris, & seclusa consuetudine; & dicit esse illicitum, hæc oua, & lacticinia edere in Quadragesima; & non explicat, an mortaliter, an venialiter sit illicitum; Palatios vero explicat esse illicitum sub veniali, non sub mortali. Tenet etiam hanc opinionem Petrus Allagona *in Epitome decretal. in dicto cap. Denique. dist. 4.* vbi tangens omnes quæstiones, quas Augustinus, Anglorum Episcopus, proposuit Diuo Gregorio Papæ, contentas in eo capite, inter quas præcipua erat hæc de ouorum, & lacticiniorum esu, in ieiunijs Quadragesimæ, ita ait: *Nota, hæc, aut sunt de consuetudine, aut antiquata.* Tenet Glossa *in dicto cap. Denique. dist. 4.* vbi explicans verba illa: *Par autem est, vt nos, qui his diebus à carnibus animalium abstinemus; ab omnibus quoque, quæ sementinam à carnibus trahunt originem, ieiunemus, ab ouis, videlicet, caseo, & lacte.* ex quibus, (vt dixi) aduersarij mortale peccatum deducunt (neque enim alius textus inuenitur in toto Iure, qui loquatur expresse de ouis, & lacticinijs:) ita ait: *Par*, id est, *æquum, & iustum.* Quæ verba non inducunt obligationem mortalem, sed congruentiam quandam, & ad summum ex leuitate materiæ, propter cognationem, quam habent cum carnibus, venialem. Tenet Gratianus, qui *ad finem huius cap. Denique. dist. 4.* addit hæc verba; quæ in textibus antiquis inueniuntur, in contextu textus, & in modernis, ac correctis ad marginem ponuntur: *Hæc, etsi Legibus constituta sint; tamen, quia communi vsu approbata non sunt, se non obseruantes transgressionis reos non arguunt.* Et infra: *Nisi quis dicat, hæc non decernendo esse statuta, sed exhortando conscripta.* Vbi dictio illa relatiua, *hæc*, comprehendit omnes quæstiones, & omnia dubia, quæ Augustinus proposuit Diuo Gregorio, inter quæ, vt dixi, præcipuum fuit, hoc de ouorum, & lacticiniorum esu in tempore Quadragesimæ, & responsionem illorum; & de omnibus ait Gratianus, aut esse abrogata, aut non continere peccatum mortale, sed consilium; vel si mauis ad summum veniale propter cognationem, quam habent cum carnibus.

12. Colligitur hæc doctrina ex Panormitano *de obseruat. ieiunior. cap. Ex parte. n. 12.* ex Præposito *cap. Denique. dist. 4.* ex Medina *C. de ieiunio, tractat. 4. capite de necessitate ieiunij, vers. Vt igitur. folio mihi 104. litera D. col. 2.* Qui omnes asserunt, vt Leges & præcepta obligent sub mortali, attendendum esse ad verba Legis, an sint præceptiua, necne: & si hæc deficiant ad materiam; an sit grauis, & ad intentionem Legislatoris. Verba Legis, vt vidimus, non sunt præceptiua. Materia non est grauis, sicut est abstinentia carnium, vt explicant Gratianus, & Glossa, vt etiam vidimus; nam oua, & lacticinia sunt dependentiæ à carnibus, & circumstantiæ illarum, quia originem ab illis trahunt, vt ait textus. Circumstantiæ autem, & dependentiæ delicti in Iure non puniuntur in iudicio eadem pœna, qua punitur principale delictum. Quare, si in Iure puniebatur esus carnium, seu principale delictum, pœna peccati mortalis, dependentiæ, & circumstantiæ, seu esus ouorum, & lacticiniorum, minori pœna, hoc est, pœna peccati venialis, debent puniri.

Nititur hæc opinio Iure; nam *in capite, Rogationes. de consecrat. dist. 3. in fine*, dicitur, in diebus Quadragesimæ posse fideles vti illis cibis, quibus vtuntur in ieiunijs extra Quadragesimam. Vnde, si in ieiuniis extra illam, non est peccatum mortale ex vi Iuris, vti cibis ouorum, & lacticiniorum, vt probauimus *num. 11. versu, Loquendo igitur*, consequenter non erit peccatum mortale vti illis in Quadragesima: non tamen erit licitum illis vti, nec carebit veniali; quia sunt dependentiæ à carnibus, & dependentiæ semper prohibentur cum principali delicto, sed minori pœna, vt diximus. 13.

Hanc opinionem docuit, vt iacet, olim in Lusitania in vtraque Academia, Conimbricensi, & Eborensi, doctissimus Pater, Ferdinandus Peres, Doctor Complutensis, nostræ Societatis IESV, & in ea insigni Academia Professor sacræ Theologiæ, antequam nostram Societatem ingrederetur: & adhuc extant in Lusitania illius Glossæ, quæ omnium manibus atteruntur. Docuit etiam in his duabus Academijs Doctor Iacobus de Cysneiros, in vtroque Iure doctoratus laurea in insigni Vniuersitate Conimbricensi decoratus, nostræ etiam Societatis, qui Romæ per multos annos mirabili plausu Moralis Theologiæ Cathedræ Doctor extitit, ac Magister. Post hos tantos, ac tales viros, illam etiam docuit, in his duabus Vniuersitatibus, Pater Baptista Fregosius, vir doctissimus nostræ Societatis, vt constat ex illius Glossis, quæ adhuc extant. Nouissime illam docuit, & publice sustinuit in Academia Conimbricensi, sapientissimus Doctor, ac Magister, Frater Paulus à Natiuitate ex augustissima Familia D. Benedicti, vt ipse sua subscriptione testatus est. Multi alij in Lusitania, vbi communis est, illam docuerunt, quos longum esset recensere. 14.

Probatur hæc opinio rationibus. Primo: quia nullus datur textus in toto Iure, qui asserat, hoc esse peccatum mortale: ergo spectato Iure communi tale nõ est. Probatur antecedens: nam, si aliquis esset textus, vel esset *caput, Denique. dist. 4.* vel Canon 56. sextæ Synodi Trullanæ: neuter horum est: ergo non datur talis textus: nam *caput, Denique, dist. 4.* nulla habet verba præceptiua, & inductiua peccati mortalis: solum enim ibi dicitur: *Par autem est, vt nos, qui his diebus à carnibus animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam carnis trahunt originem, ieiunemus, à lacte, videlicet, caseo, & ouis.* Vbi sunt hic verba præceptiua, & inductiua peccati mortalis? Non in verbo, *Par*, quia, vt explicat ibi Glossa, & Dominicus, *Par*, ponitur pro *æquo, & iusto*: & in rigore sui significatus verbum illud, *Par*, æquum, & iustum, ac proinde congruentiam significat, non præceptum; nec in Decretali Diui Gregorij, vnde hæc verba sunt deducta, inuenitur præceptum aliquod, supra quod cadat verbum illud, *Par*: & quamuis nonnulli ex aduersarijs velint, illic subintelligendam esse particulam, *Sic*, quasi sensus sit: *Sic quoque ab omnibus, quæ sementinam carnis trahunt originem, ieiunemus, ab ouis, videlicet, caseo, & lacte.* Vt per illam, æqualem obligationem inducant in carnibus, & in ouis, & lacticinijs. Id quidem diuinare est, & verba textui addere, vt illum torqueant, & ad suum sensum trahant. Sed, quamuis illis libenter demus; tamen deest tunc illa par-

la particula, *Par*, quæ illorum sensum, & æqualem obligationem, quam fingunt, destruit: manet enim tunc hic sensus: *Sic quoque par est*, id est, congruum & iustum, vt in toto rigore sui significatus verbum illud, *Par*, significat.

16. Dicent, pœnam peccati mortalis contineri in materia graui, & in illis verbis: *Ab illis quoque, quæ sementinam à carnibus trahunt originem, ieiunemus.* Nam oua nihil aliud sunt, quàm carnes liquidæ; lacticinia, quàm sanguis coctus, & colore mutatus: & sic sunt eiusdem speciei cum carnibus: & ideò eodem præcepto ieiunij æqualiter prohiberi; & eadem pœna peccati mortalis. Sed ad hoc facilis est responsio: non enim sunt eiusdem speciei, oua, & lacticinia, cum carnibus: & quamuis essent, non prohibentur directè, & per se in eodem præcepto ieiunij; sed indirectè, & per accidens, quasi dependentiæ carnium, & circumstantiæ præcepti ieiunij: atque adeò non prohibentur eodem modo, & pœna peccati mortalis; sed diuerso modo, & diuersa pœna peccati venialis. Patet. Quia, si eodem modo, & pœna prohiberentur, nemo posset in Quadragesima ieiunare edendo oua, & lacticinia; sicut non potest ieiunare cum carnibus, quod est falsum.

17. Non negamus tamen, posse dari præceptum, quod S. P. obliget sub mortali ad non edenda oua, & lacticinia: sed dicimus, adhuc non dari, nec inueniri Ius, in quo tale præceptum contineatur: nam in dicto cap. *Denique.* dist. 4 non continetur tale præceptum: in eo enim quinque quæsiuit Augustinus, Anglorum Episcopus, à Papa. Primò, an clerici incipere deberent ieiunium à Quinquagesima: & respondit affirmatiuè: vt exemplo præirent sæcularibus, sicut illis præibant honore dignitatis. Secundò, an sæcularibus, qui in diebus Dominicis Quadragesimæ largius edere solebant pisces, hæc consuetudo prohibenda esset: & respondit negatiuè: quia, qui multum emungit, elicit sanguinem. Tertiò, an in ieiunijs Quadragesimæ pisces magni edi possint: & respondit affirmatiuè, ad infirmitatis humanæ solatium, non ad luxuriam. Quartò, an in ieiunijs Quadragesimæ vtendum esset vino: & respondit affirmatiuè, dummodò vitetur ebrietas. Quintò; an tempore Quadragesimæ abstinendum esset ab ouis, & lacticinijs, sicut à carnibus: & respondit id par esse: *Par autem est*, &c. Vbi notandum est, in omnibus aliis dubiis, semper respondisse Pontificem, *Sic*, *Non*: in hoc autem dubio de ouis, & lacticiniis, non respondisse, nec simpliciter, *Sic*; nec simpliciter, *Non*: sed respondisse, id par esse; quia originem trahunt à carnibus. Vt ostenderet, materiam non esse tam grauem, vt pro tunc obligandi essent neophyti Christiani, nuper à comessationibus, & ebrietatibus gentilitatis, ad sobrietatem fidei conuersi, ad illorum abstinentiam sub mortali: nec tam leuem, cum sit dependens à carnibus, & cum illis cognationem habeat, vt omninò id licitum illis esset. Quare ex dictis patet, in prædicto textu cap. *Denique.* dist. 4. non contineri præceptiua verba, quæ obligent ad mortalem reatum.

18. Canon verò ille 56. sextæ Synodi Trullanæ, quem allegant, & sic habet: *Visum est, vt omnis Dei Ecclesia, quæ est in vniuerso terrarum Orbe, vnum ordinem sequens, ieiunium perficiat; & abstineat, sicut ab omni mactabili, sic ab ouis, & caseo, quæ sunt fructus, & fœtus eorum, à quibus abstinemus: alioqui, si sint Clerici, deponantur; si autem laici, segregentur.* nullam auctoritatem habet: quia tota hæc Trullana Synodus semper fuit reprobata ab Ecclesia, & nunquam fuit ab illa admissa: quippe vera sexta Synodus Actiones fecit, non Canones: sed post illam sextam Synodum iam dissolutam, quæ fuit congregata contra Hæreticos Monothelitas, & vera, & sancta, & œcumenica est; nonnulli Episcopi Orientales Constantinopoli, sine authoritate Papæ, conuenerunt, & in Palatio Imperatoris Iustiniani II. quod Trullanum dicebatur, centum & duos Canones ad sextam Synodum addiderunt; eosque, vt authoritatem illis conciliarent, nomine sextæ Synodi euulgarunt: & ideò à Trullana aula, in qua editi fuerunt, Trullani dicuntur, quos nunquam Ecclesia Romana approbauit; nec etiam à tribus Patriarchis Orientalis Ecclesiæ vnquam fuerunt admissi: scatent enim multis erroribus contra fidem, vt docet Illustrissimus Cardinalis Baronius tomo 8. fol. 611. 612. 613. 614. & id probat ex Beda de sex ætatibus, in Iustiniano Minore; & ex Paulo Diacono, de gestis Longobardorum, libro 6. capite 11. docet etiam Illustrissimus Cardinalis Bellarminus libro 2. de Romano Pontifice, capite 18. §. *Argumentum secundum.* & latè libro 1. de Concilijs, capite 7. & doctissimè id ostendit Turrianus integro libro horum Canonum: & Coriolan. Chronologia Patrum, & Conciliorum, num. 691. agens de Papa Sergio; & Seuerinus Binius in admonitione ad Lectorem circa Canones Trullanos, fol 224. & 228. & Thomas Freterus, Canonicus Sanctæ Mariæ trans Tyberim, in Epitome vitæ Imperatorum, in vita Constantini Imperatoris IV. & Iustiniani Minoris; Simancas de catholicis Institutionibus, titulo 40. num. 38. Azor tomo 2. Institut. Moral lib. 5. ca. 16. versiculo, *Sextum Concilium.* Illustrissimus Archiepiscopus Bracharensis, Dominus D. Rodericus à Cunha, in Commentario ad caput, *Sexta Synodus.* d. 9. n. 1. Vnde miror, ausum fuisse quendam Magistrum Salmanticensem in sua Glossula, quam publicè Salmanticæ dictauit, asserere, omnes Canones huius Synodi Trullanæ, quæ nomine sextæ Synodi fuit euulgata, admissos fuisse ab Ecclesia Romana, & illis semper gubernatam fuisse, excepto Canone de continentia Clericorum, & de primatu Ecclesiæ Constantinopolitanæ: constat enim omnes, aut ferè omnes, plurimis erroribus scatere, vt legenti patebit: vnde egregiè lapsus fuit hic Author, & illius error est intolerabilis, & omninò ab illius Glossula delendus, ne in alios serpat cum damno Reipublicæ Christianæ. Et ex dictis constat, nullum esse textum, ex quo hæc obligatio peccati mortalis deducatur, cum nullibi hoc præceptum in Iure expressum sit, vt hactenus vidimus: non enim ab Authoribus aduersarijs textus aliquis assignatur, præter istos duos, qui à nobis explicati sunt.

Probatur adhuc etiam rationibus hæc secunda 19.
Lusitanorum opinio. Secūdò, quia peccata Lege, & Canonibus inducta, non sunt multiplicanda, nec ad casus dissimiles extendēda, vbi Lex expressè non loquitur: hîc enim etiam militant communes Regulæ Iuris: *Odia sunt restringenda*, &c. *& pœnæ coercendæ: & benignior in illis interpretatio est facienda.* de regulis Iuris, in 6. Diuersa autem res est, & multò minor, edere oua, & lacticinia, quàm carnes,

carnes, vt fatetur Sanch. lib. 4. Decal. c. 11. n. 46. & docet Suar. t. 4. de Relig. cap. 7. num. 9. quod patet: quia, qui vouet abstinere à carnibus, non tenetur abstinere ab ouis: ergo, cum res sit minor, minori pœna, quàm pœna peccati mortalis debet puniri; & cum sit diuersa, pœna alterius rei diuersa non est illi accommodanda.

Tertiò, quia, si sub eodem præcepto, eodem modo, & eadem pœna præciperetur in Iure communi, in Quadragesima, abstinentia carnis, & ouorum, & lacticiniorum; sequeretur, quòd, sicut ille, qui facultatem habet ad edendas carnes in Quadragesima, non tenetur ieiunare, iuxta meliorem opinionem, quam alibi secuti fuimus: ita etiam non teneretur ieiunare ille, qui facultatem habet ad vescenda oua, & lacticinia, in Quadragesima: consequens est falsum: ergo & antecedens. Quartò, quia non est verisimile, velle Sum. Pont. obligare sub peccato mortali illos, qui oua & lacticinia in Quadrag. sicut obligat illos, qui carnes edunt, cum tam facilè dispenset in esu ouorum, & lacticiniorum, & tam difficilè in esu carnium, quas non concedit edere, nisi de iudicio vtriusque Medici. Ergo si vtrobique daretur eadem obligatio, vtrobique daretur eadem difficultas in dispensatione: non datur: ergo signum est, non dari vtrobique eandem pœnam peccati mortalis, ex vi Iuris communis loquendo.

20. Nec dicant Doctores aduersarij, facilius dispẽsare Summum Pontificem in Bulla Cruciatæ, in peccato mortali ouorum, quàm carnium, propter bonum commune, cui subsidium Cruciatæ applicatur; & propterea quòd facilius ouis occurritur penuriæ ciborum piscium, quam carnibus: nam id probat quidem, supposito, quod hoc sit peccatum mortiferum, dari iustam causam dispensandi in præcepto inducente illud peccatum mortiferum: non probat autem, quod esus ouorum sit peccatum mortiferum, quod erat probandum.

21. Quintò, quia non est communis sensus, & consensus fidelium totius Orbis, vt prima opinio asserebat, iudicantium, se peccare mortiferè ista edendo in Quadragesima; nec omnes se ea de re accusant in confessionibus, tanquam de mortali culpa; nec etiam Confessarij id interrogant in toto Orbe: nam, Dei gratia, omnes in Lusitania fideles sunt, & optimi fideles; & tamen nec cogitant peccare; nec se ea de re, tanquam de culpa mortali, in confessionibus accusant; nec à Confessarijs, etiam doctissimis, ea de re interrogantur; nec videntes alios hæc edere, scandalizantur: omnes enim in Castella, in Placentino Episcopatu, illa comedunt in Quadragesima ex consuetudine, & in maiori parte Episcopatus Ouetensis, & in Episcopatu Pacensi, & Oxomensi, in quibus oua, & non lacticinia; aut lacticinia, & non oua, comeduntur: & tamen optimi etiam inibi fideles sunt; & nec se ea de re, tanquam de peccato mortali, accusant; nec scandalizantur, si videant alios ea edere tempore Quadragesimæ. Vnde in ijs Castellæ partibus, in quibus fideles se ea de re, tanquam de re mortifera, accusant, id quidem prouenit ex consuetudine, non ex Iure: quia consuetudo legitimè introducta, ibidem illarum rerum esum illicitum fecit sub mortali.

Sextò, quia Summus Pontifex in suis priuilegijs Cruciatæ, cum dispensat in esu ouorum, & lacticiniorum, dispensat in abstinentia illorum, obligante sub peccato mortali, in locis, regnis, & prouinciis, in quibus consuetudo obtinuit, hæc edere, esse mortale; non verò in locis, in quibus consuetudo harum rerum cibum licitum fecit: in ijs verò locis, in quibus solo Iuri communi statur, dispensat in solo veniali; & fortè in scrupulo peccati mortalis, considerata probabilitate alterius opinionis, quæ est in Castella communior.

Ita se habent huiusmodi opiniones hodie valdè celebres. Prima sententia est in Regnis Castellæ cõmunis, & in se considerata valde probabilis. Secunda sententia in se est probabilior, & in Regno Lusitaniæ communissima. Inter has duas extremas sententias, ego Lusitanus cum sim, non possum non cùm meis Lusitanis consentire; præsertim cum hæc Lusitanorum sententia, quattuor habeat pro se insigniores totius Hispaniæ Academias, Conimbricensem, Eborensem, Salmanticensem, & Complutensem, & sit etiam firmissimis Iuris principijs roborata, necnon optimis rationum momentis confirmata, quæ hîc videri possunt. 22.

Ad fundamenta primæ opinionis respondeo. Ad primum, & secundum dico, iam satis, superq; constare ex secunda opinione, neque in c. *Denique*. dist. 4. neque ex Canone 56. Trullanæ Synodi, posse aliquid contra secundam opinionem adduci: quia cap. *Denique*. nullum continet præceptum, quod ad mortiferum reatum obliget: vt vidimus ex fundamentis secundæ. Canon verò Trullanus est reprobatus, & nullam habet authoritatem, vt probatum manet. Constat etiam ex ijs, quæ diximus numero 21. non omnes fideles se hac de re accusare, tanquam de peccato mortali; nec omnes putare, se, ouis, & lacticinijs vescendo, spectato Iure, infringere præceptum ieiunij: id tamen prouenire ex consuetudine in terris tantum, in quibus consuetudo sub mortali obligat ad illarum rerum abstinentiam, vt in aliquibus Castellæ partibus, non in omnibus, & in Italia. 23.

Ad 3. respondeo, iam satis probatum esse, materiam respectu præcepti ieiunij iam dati, prohibentis esum carnium, & præcipientis abstinentiam illarum, non esse grauem; quamuis in ordine ad nouum præceptum, quod Superiores ecclesiastici propter iustas causas, & fines, de nouo possunt ponere, possit esse grauis. Non est enim negandum, posse modò Superiores, propter easdem iustas causas, & fines, in ordine ad salutem animarum, prohibere esum ouorum, & lacticiniorum, sub culpa lethali: quia materia erit capax talis præcepti, sicut est voti, quod quis potest facere de illis non edendis. At dicimus, non dari adhuc tale præceptum, nec inueniri in Iure communi. 24.

Inferes, si hodie spectato Iure communi esus ouorum, & lacticiniorum, in Quadragesima, est tantum peccatum veniale, & non mortale, sequitur, non posse consuetudinem illam facere mortalem: nam consuetudo prohibet materiam iuxta grauitatem suam, vel leuitatem naturalem. Et ideò, si materia ex natura sua est leuis, & venialis, consuetudo ipsa non potest illam reddere mortalem. Ad hoc respondeo primò, consuetudinem habere vim Legis, & præcepti, si est legitima, vel approbata à Superiore, qui eam Legem, & præceptum facere potest: Superior autem potest ex iusta causa, & propter iustos fines, per suum præceptum, & Legem, id, quod est licitum, aut indifferens, reddere mortiferè illicitum: & id, quod est venia-

venialiter tantum illicitum, reddere mortaliter illicitum: & consequenter id potest etiam facere consuetudo ab illo approbata, cum tantum valeat, quantum Superior valet. Exemplo res fiat clarior. Est mihi licitum, audire Sacrum in hoc, vel illo Ecclesiæ sacello. Præcipit Episcopus ob iustas causas, & fines, quos habet, sub excommunicatione, ne quis in illo Missam audiat: iam virtute huius præcepti, id, quod erat licitum, redditur mortaliter illicitum. Quòd si Superior, & Legislator potest ob iustas causas, id, quod est licitum, facere mortaliter illicitum per suas Leges, & præcepta, à fortiori poterit, per illas facere, id, quod erat venialiter tantùm illicitum, mortaliter illicitum: maior enim distantia datur inter licitum, & mortaliter illicitum, quàm inter venialiter illicitum, & mortaliter illicitum. Item, in nonnullis Religionibus est licitum Religiosis aliorum cellas intrare; in aliis est venialiter tantum illicitum: quis ergo negabit, posse Superiores illarum, in quibus id venialiter tantum est illicitum, ob iustas causas facere idipsum mortaliter illicitum, præcipiendo, in virtute sanctæ obediẽtiæ, aut sub pœna excommunicationis, ne quis deinceps aliorum cellas ingrediatur? Cum ergo consuetudo legitimè approbata vim Legis habeat, & tantum valeat, quantum Superior illam approbans valet; si Superior id potest facere, potest etiam consuetudo.

25. Respondeo secundò, iisdem ipsis verbis Pauli Palatij, Doctoris Salmanticensis, in Annotationibus, quas Hispano idiomate scripsit super Summam Caietani, verbo, *Precepto.* Quebrantado: fol. 385. versu, *Quando la materia.* ad medium, *Que en los preceptos humanos no se puede dar regla cierta, quando por sola la materia obligue a peccado mortal, pues vemos que algunas cosas leuianas, han prohibido los Papas so pena de mortal, como es no haser quartos los cuerpos de los defuntos para lleuarlos a enterrar à otro lugar con menos embaraço, lo qual en si no es peccado, però esta vedado so pena de mortal, por que lo està so pena de excommunhon.* Hæc ille. Qui autem non admittit obligationem peccati mortalis introductam per Legem, aut præceptum Superiorum; nisi quando materia talis Legis, antequàm illa feratur, est grauis; vult tradere Regulam certam Superioribus, & illorum præceptis, ac Legibus, qualis est grauitas materiæ, talis præcepti: nam grauitas, & ratio præcepti, atque Legis grauiter obligantis, non est desumenda tantum ex grauitate materiæ; quantum ex grauitate causæ: & fines, quos Superior habet ad faciendam Legem, & præceptum, grauiter, & mortaliter obligant: quamuis materia aliunde perexigua videatur.

26. Ex hac secunda Lusitanorum opinione sequitur primò, admissa hac opinione, in qua statuitur de Iure communi, & papali, non esse peccatum lethale, edere oua, & lacticinia in Quadragesima, sed tantum veniale; non posse Episcopos in suis Diœcesibus statuere esse mortale, stantibus, & persistentibus iisdem causis, rationibus, & circumstantiis, ob quas Papa, & Ius commune iudicauit, esse veniale: quia Episcopi nihil possunt statuere supra Papam, nihil præcipere, vt patet ex toto titulo de maioritate & obedientia, & ex illo Christi Domini: *Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis.* Conducit caput illud, *Dominus.* & caput, *Quod super his.* eodem titulo, ibi: *Dummodo in ipsa Synodo non ducas aliquid statuendum, quod canonicis obstet institutis.* Vbi Papa concedit facultatem Episcopo ad cogendam Synodum, dummodo nihil in ea statuat contra, aut supra sacros Canones, aut Ius commune. Sic in Castella, non possunt Episcopi vsus carnium in Sabbathis totius anni sub mortali prohibere: quia ea consuetudo & vsus est approbatus à Papa, & vim Legis papalis habet. Dixi, stantibus iisdem circumstantiis, causis, & rationibus: quia ex noua causa concernente salutem animarum suorum subditorum, id poterunt Episcopi sub mortali præcipere, veluti si oua, & lacticinia comedantur à suis subditis, in contemptum ieiunij, aut ob alias causas graues & iustas, quæ Prælatis occurrere possunt.

Sequitur secundò, veniale tantum esse in Quadragesima pisces simul, & oua edere, ex vi eiusdem Iuris communis, & lacticinia, in eodem prandio. 27.

Si hîc interroges, an illi, qui non tenentur ieiunare, teneantur à carnibus, ouis, & lacticinijs abstinere: Respondeo, teneri adultos; licet à ieiunio ex defectu ætatis excusentur, abstinere ab ouis, & lacticiniis, in locis, in quibus consuetudo harum rerum esum illicitum sub mortali fecit: quia hæc est voluntas Prælatorum; eam consuetudinem approbantium. At verò paruulis, qui nondum sunt capaces præcepti Ecclesiæ, nec septennium explent, & aliis, qui nondum habent perfectum vsum rationis, licitum est huiusmodi res edere iuxta ea, quæ diximus n. 8. quem vide: neque enim iuuat, ea, quæ sunt iam dicta, repetere. 28.

Si tamen alicubi consuetudo sit, non vescendi ouis duntaxat, tam in ieiuniis Quadragesimæ, quàm extra illam, rogabis, an ille, cui tunc priuilegium conceditur, vt illa comedat, tuto possit vesci, caseo, lacte, & butyro. Respondeo, hac de re duas esse opiniones. Prima negat. Fundamentum illius est: quia priuilegium Principis, quando Iuri communi derogat, debet strictè interpretari, ita vt tantum verba priuilegij saluentur; & ad aliud non extendantur: ac proinde, cui vnum conceditur, non conceditur aliud; sicut è contrario, si alicui conceditur facultas vescendi lacticinijs, non statim conceditur ei facultas ad vescendum ouis. 29.

Secunda affirmat: quia omnia hæc eiusdem rationis sunt, & priuilegia benignè sunt interpretanda, & mens Superioris priuilegium concedentis rationabiliter intellecta per vnius concessionẽ, vtrumque concedit, nec verba tunc ad aliud extenduntur, cum omnia sint eiusdem naturæ, moraliter loquendo, & eandem cognationẽ habent cum carnibus, vt patet ex cap. *Denique.* dist. 4. Ita docet Medina in Instructione Confessariorum, lib. 1. cap. 14. §. 10. Azor tomo 1. Institut. Moral. lib. 7. cap. 11. q. 4. Et ad rationem in contrarium adductam dicendum est, id verum esse, quãdo vnum pro alio in Iure non sumitur: at in Iure oua pro lacticinijs, & lacticinia pro ouis sumuntur, cum omnia originem trahant à carnibus: & hanc approbo.

Maius dubium est, an cui ex priuilegio, vel cõsuetudine, licitum est oua edere, & lacticinia, possit simul cum illis vesci piscibus. Negat Nauarrus tomo 1. consilior. de obseruat. ieiunior. consilio 5. vbi dicit, fas ei esse, vno die vesci ouis tantum, & altero die piscibus tantum, vel eodem die vesci eodem prandio ouis tantum, & in cœna piscibus tantum. 30.

tantum. Fundamentum illius est: quia aut piscium esus ei nocet, aut non nocet: si nocet; ergo comedendo illos, peccat: si non nocet; sine iusta causa ei conceditur vsus cibi prohibiti.

Alij è contrario affirmant, licitum ei esse in eodem prandio, vesci ouis, & lacticiniis simul cum piscibus. Ita Azor tom.1.Instit.moral.li.7.c.10.q.1.Medina in Instruct. Confessar. lib.1.c.14.§.10. Probant: quia fieri potest, vt si quis solum in prandio piscibus vtatur, sibi noceat: quare per priuilegium Pontificis ei conceditur potestas vescendi ouis simul, & piscibus Deinde, quia accidere potest, vt oua tantum, & lacticinia, non sufficiant ad integrum prandium, vel cœnam; aut è contrario, pisces tantum ei non sufficiant: & fieri etiam potest, vt illius stomachus pisces tantum, aut oua tantum, & lacticinia non recipiat. Denique, quia sæpè contingit, vt modico paucorum pisciculorum esu, appetitus excitetur ad maiorem, & necessarium ouorum & lacticiniorum cibum: & quia ita ab omnibus frequenter sine scrupulo fit.

Ad fundamentum Nauarri respondeo: si pisces nocent, peccare quidem comedendo illos, nō contra legem ieiunij; sed, quia vescitur cibo sibi incommodo, ac minimè salubri, ac proinde non contra temperantiam propriam per legem ieiunij intentam; sed contra prudentiam & charitatem propriam: si ei non nocent, minimè peccare, vtrumque comedendo; quia vtitur priuilegio suo, sibi à legitimo Principe concesso.

31. Sed loquendo de ieiunijs extra Quadragesimā, & in diebus Veneris, & Sabbathi totius anni, partita est opinio. Prima docet, in Iure communi nō esse prohibita oua, & lacticinia, in ipsis diebus ieiunij; & ideo de Iure posse ista licite comedi, absq; vllo peccato, etiam veniali, & absque ieiunij violation. Ita D. Thomas 2.2.q 147 art.8. ad 3. ibi: *In quolibet ieiunio interdicitur esus carnium: in ieiunio autem quadragesimali interdicuntur oua, & lacticinia.* Hæc ille, vbi per exclusionem omnium dierum ieiunij extra Quadragesimam, videtur affirmare solum in ieiunijs Quadragesimæ, hæc ex vi Iuris communis esse prohibita. Ita docet etiam Innocentius in Rubrica de obseruat. ieiunior. num. 5. Lessius tom.1. de Iustitia, lib.4. c.2.dub.2.n.8. Azor tom.1.Institut.moral.l b.7 c 10 q. 1. Paludanus in 4 dist.15.q.4.a.4. Nauarrus in Summa Lat. c.21.n. 15. Rosella verbo, *Ieiunium*, n.11. Tabiena ibi.n.6. Ioannes Sanches in selectis disputationib. disp.51.n 18.fol.518.col.2. Fumus verbo, *Ieiunium*, initio. Host.ēsis in Rubrica de obseruat. ieiunior. n.5. Caietanus verbo, *Ieiunium*. in Summa Rodrigues tom. 1. Summæ, c.23.& in explicatione Cruciatæ §.6.n.1.fol.284. Sà verbo, *Ieiunium*, n.8. Nider præcepto 6.n.8. Gabriel in 4.dist.16.q.3.a.3. dub.1.§. *De secundo.* Thomas Sanches lib.4. Decalogi, c.11.n.52. Llamas 2.p.Methodi, c 15.§.26. Vivaldus de ieiunio, c.15.n.17.& 22. Villalobos tra. 23. difficultate 2.n.7. Ioannes de Crus 3.p.c.4. cōclus.4. Medina in Summa, lib. 1.c 14. §. 10. Alter Medina C.de ieiunio, q.1.fol.134. Palatios in 4.d. 15.q.8. Pedraza in 3.præcepto, §.4. Vasques to. 2. disp.177.c.6.n.54. Fundamentum illorū est: quia nullibi in Iure communi inueniuntur oua, & lacticinia prohibita extra Quadragesimam: nam in cap. *Denique* dist.4. vbi prohibentur, solum agitur de ieiunijs Quadragesimæ: cōsultus enim D. Gregorius Papa ab Augustino, Anglorum Episcopo, an abstinendum esset, in Quadragesima, ab ouis, & lacticiniis, sicut & à carnibus, respondit, *Par esse*. qui textus solum loquitur de diebus ieiunij Quadragesimæ, non de diebus ieiunij extra illam, & non est alius in toto Iure, qui de ijs ouis, & lacticiniis expressè loquatur: quare, cum nullibi in Iure inueniantur prohibita in ieiuniis extra Quadragesimam, & in diebus Veneris, & Sabbathis totius anni: dicendum planè est, licitum esse illorum esum in his diebus, & ieiunijs extra Quadragesimam ex vi Iuris communis. Secundò, quia oua, & lacticinia prohibentur ibi; quia dies Quadragesimæ sunt ieiunij talis temporis: ergo in alijs diebus ieiunij extra illud tempus, non prohibentur, ac proinde illorum esus erit licitus.

Secunda opinio docet, hæc etiam esse prohibita in ieiuniis extra Quadragesimam, & in diebus Veneris, & Sabbathis totius anni, in Iure communi, sicut prohibita sunt in ieiunijs Quadragesimæ. 32.
Ita tenent expressè Graphis lib.2. decis aurear.ca. 36. n.10. Alexander in cap. *Denique.* dist.4. n 16. Dominicus in cap. *Rogationes.* de consecrat. dist 3. Astensis 2 p.tit.28. art.3 q.5. Ricardus in quarto, dist.15.a.3.q.5. Tabiena verbo, *Ieiunium*.n.7. Ioannes Ferdinand. lib. de Episcopo, c.2.casu 107. & 131. Et idipsum videtur etiam tenere Beia in 1. p. casu 45. fol. 207. dum absolute asserit, in terris de nouo repertis, in quibus non erat consuetudo vescendi ouis, & lacticiniis, standum esse Iuri communi, in quo oua, & lacticinia prohibētur: in qua tam absoluta locutione videtur comprehendere, nō solum quadragesimale tempus; sed etiam dies ieiunij extra Quadragesimam, & dies Veneris, & Sabbatha totius anni. Idem videtur tenere Abbas, in Rub. de obseruat. ieiuniōr. teste Couarruuia lib.4. Var c. 20.n.5.ad finem. Abbas enim ibi ait, posse fideles in ieiuniis extra Quadragesimam vesci ouis, & lacticiniis, si fuerit vsu receptū: quasi diceret, alias non: quia Iure communi prohibentur. Videtur denique idem tenere Couarruuias modò allegatus dicto n 5. ad finem, vbi postquam retulit opinionem D. Thomæ, & Thomistarum, asserentium hæc non esse prohibita in ieiuniis extra Quadragesimam, nec in sextis feriis, & Sabbathis totius anni, ita ait: *Ego vero existimo, oua, caseum, & lac, atque his similia, vetita esse Iure in his diebus, quibus ieiunij causa, hac caro fuerit prohibita.* Hæc ille. Probatur hæc opinio: quia in cap. *Rogationes* de consecrat. dist 3. in fine, dicitur, iisdem cibis quadragesimalibus vtendū esse in ieiuniis extra Quadragesimam, & in ieiuniis Quadragesimæ, ibi: *Quo triduo quadragesimalibus cibis vtantur.* Et loquitur de triduo Rogationum, in quo olim ieiunium indictum erat, atque adeo de ieiuniis extra Quadragesimam. Vnde, si non licet, & est peccatum mortiferum, ouis, & lacticiniis vesci in ieiuniis Quadragesimæ; id peccatum mortale erit, illis vesci in ieiunijs extra Quadragesimam, cum iisdem cibis nobis vtendum sit in istis, atque in illis ieiuniis. Secundò, quia in cap. *Denique.* dist 4. absolutè prohibentur carnes, oua, & lacticinia, eò quod originem trahant à carnibus. Quare, cum carnes in omnibus ieiuniis, etiam extra Quadragesimam, prohibeantur, & sextis feriis, & Sabbathis totius anni; consequenter etiam prohibentur oua & lacticinia: quia originem à carnibus trahunt. Nec refert, quod Papa fuerit ibidem in dicto cap. *Deniq.* dist. 4. interrogatus de ieiuniis tantum Quadragesimæ: nam responsio prohibitiua, quam dedit, fuit absoluta, & prohibuit oua, & lacticinia: quia

quia prohibuit carnes, & ratione carnium, ibi: *Par est, vt quibus diebus à carnibus abstinemus, ab iis quoque, quæ sementinam à carnibus trahunt originē, ieiunemus, ab ouis, videlicet, caseo, & lacte.* Vbi vides, totam rationem prohibitionis ouorum esse, quia prohibentur carnes, à quibus originem trahunt: atque adeo, quandocunque prohibentur carnes, prohiberi & oua, propter cognationem carnium. Quā obrem, cum in ieiuniis extra Quadragesimam, & in omnibus sextis feriis, & Sabbathis totius anni, excepto die Natalitij Domini, si in illis contingat, prohibeantur carnes; consequenter etiam prohibentur & oua.

33. Vtraque ex his opinionibus est valdè probabilis. Ego solum propter authoritatem D. Thomæ, magis in primam inclino, & ex illa sequitur, licet Frater Minimus vescens oua, & lacticinia, in diebus ieiunij, extra Quadragesimam, lethaliter peccet contra suam Regulam; non tamē peccare contra præceptum ieiunij Ecclesiæ, nec infringere ieiunium Ecclesiæ, sed ieiunium suæ Regulæ: quia non comedit cibos prohibitos ab Ecclesia in tali ieiunio. Ita Maior in 4. dist. 15. q. 3. col. 2. & deducitur ex Paludano ibi, dist. 15. q. 4. conclus. 2. Ad fundamenta secundæ respondeo, Doctores semper intel exisse prædictum cap. *Rogationes* de consecrat. d. 3. de esu tantum carnium, quæ per se, & directè in omnibus ieiunijs, tam Quadragesimæ, quam extra Quadragesimam vetantur; & nunquā illud intellexisse de esu ouorum, & lacticiniorum, quæ per accidens, & in consequentiam prohibentur: & inibi, in eo capite, dici vtendum esse cibis quadragesimalibus; hoc est, abstinendum esse à carnibus. Cum vero Summus Pontifex de ouis, & lacticiniis interrogatus fuit, specialiter in cap. *Denique*. dist. 4. respondit, ab illis quoque abstinendū esse: quia à carnibus originem trahebant: quod fecit ob reuerentiam sacri temporis, vnde tota ratio prohibitionis ouorum tempore Quadragesimæ est: quia originem trahunt à carnibus. De ieiuniis autem extra illam, noluit Summus Pontifex, vt aiunt Doctores, quod fideles ab ouis, extra illam abstinerent: debet enim ieiunia quadragesimalia ob reuerentiam sacri temporis sacratiora esse, & aliquam excellentiam habere super alia ieiunia. Et hac responsione omnia fundamenta secundæ opinionis destituuntur.

34. Dubitabis, an etiam in diebus Dominicis Quadragesimę oua, & lacticinia licitè comedi possint? Partita est etiā opinio. Prima negat, & ait id peccatum esse mortale. Ita docet Ioannes Sanches disp. 51. n. 25. Thomas Sanches to. 2. Decalogi lib. 4. c. 11. n. 53. Henriquez li. 7. c. 13. n. 10. Ioseph. Angles q. 9. de abstinentia à cibo, difficultate 7. Ludouic. Lopez 2. p. Instructor. c. 211. fol. mihi 714. Rodriguez in explicatione Bullæ Cruciatæ, §. 6. n. 8. Corduba in Summa, quæst. 168. fol. 458. Vega 1. p. c. 14. casu 26. Villalobos tract. 27. claus. 6. n. 1. & tract. 23. difficultat. 8. n. 1. Ratio illorum est: primò, quia ratio textus cap. *Denique*. dist. 4. ob quam oua, & lacticinia prohibentur in Quadragesima, non fundatur in eo, quod dies Quadragesimæ sint dies ieiunij; sed in eo, quod sint dies abstinentiæ à carnibus: prohibentur enim ratione carnium, quatenus trahunt originem ab illis, non ratione ieiunij. Ergo, cum in diebus Dominicis Quadragesimæ teneamur abstinere à carnibus; ab ouis, caseo, & lacte, quæ originem à carnibus trahunt, tenemur abstinere.

Secundò, quia, vt refert Ioannes Sanches allegatus n. 25. Gregorius XIII declarauit, quod, licet dies Dominici Quadragesimæ non sint dies ieiunij, quoad quantitatem, & delectum cibo um esse tamen dies ieiunij quoad qualitatem illorum: Quare, cum iisdem diebus teneamur à carnibus sub mortali abstinere, tenemur etiā abstinere ab ouis, & lacticiniis, quę à carnibus originē trahunt.

35. Secunda opinio affirmat, licitum esse illa comedere in dieb. Dominicis Quadragesimæ, & nullum id esse peccatum, nec veniale quidem. Ita docet Lamnias 3. p. Method. c. 5. § 26. in fine; Antonius Gomes in explicat. Bullæ Cruciatæ, clausula 7. n. 7. Corduba in Summa, q. 168. Vbi dicit, hanc esse opinionem nouiorum: & pro hac opinione faciunt omnes Doctores, & rationes factæ pro prima opinione, n. 31. explicata. Fundamentum huius rei est: quia oua videntur solum de essentia ieiunij Quadragesimæ: quare, cum in diebus Dominicis Quadragesimæ non teneamur ieiunare, non tenemur etiā ab illis in iisdem abstinere. Antecedens probatur: quia Summus Pontifex consultus fuit ab Augustino, Anglorum Episcopo, an abstinendum esset in diebus ieiunij Quadragesimæ, ab ouis, & lacticiniis, sicut & à carnibus; & respondit in dicto cap. *Denique* dist. 4. affirmatiuè: quia originem trahunt à carnibus. Nihil autem respondit de diebus Dominicis prædictæ Quadragesimæ, nec de illis fuit consultus: quare ea responsio prohibitiua, cum sit pœnalis, non est extendenda ad dies Dominicos, de quibus Papa non fuit consultus.

Replicabis, id deduci ex ratione Pontificis, quam in sua responsione dedit: prohibuit enim oua, & lacticinia, eo quod originem traherent à carnibus: cum autem in diebus Dominicis Quadragesimæ abstineamus à carnibus, consequenter etiam ex mente Pontificis abstinendum nobis est ab omnibus, quæ originem à carnibus trahunt; ab ouis, videlicet, caseo, & lacte. Sed id egregie infirmatur, tam ex ipsa interrogatione, quam ex illius responsione. Nam, cum interrogatio solum fuerit proposita Summo Pontifici, circa dies ieiunij in Quadragesima, responsio supra hos ipsos dies cadit duntaxat: & cum sit prohibitiua, & pœnalis, non debet extendi ad casum non interrogatum.

Probatur etiam hæc opinio ex doctrina Sancij lib. 4. Decalogi, cap. 11. n. 46. vbi asserit, abstinentiam ouorum, & lacticiniorum, esse rei minoris, minusque Deo dilectæ, quam sit abstinentia carnium: quia, qui vouet abstinentiam carnium, non vouet obstinentiam ouorum, & lacticiniorum. Quare, cum sit minor, non debuit prohiberi diebus Dominicis Quadragesimæ.

Ista secunda opinio videtur mihi prob[illegible] & ex fundamentis illius soluta maner[illegible] menta primæ. Si tamen alicubi conf[illegible] tū, ouorum, & lacticiniorum esum [illegible] Dominicis Quadragesimæ illicit[illegible] mortiferum peccatum erit ill[illegible] quęque enim Prouincia su[illegible] consuetudines maiorum [illegible] stolicas arbitrari; vt [illegible] stol. ad Lucin[illegible]

